Historia Polon
1696.

Resolutio theologica super Quaestione Rempublicam Polonam et Statum Christianitatis concernente etc

RESOLUTIO THEOLOGICA

Super Quæstione, Remp. Polonam & Statum Christianitatis, concernente.

Utrum Resp. Christiana Libera, habens Ius eligendi Regem, possit sibi adsciscere Principem non exercentem neq; profitentem Actu Religionem Catholicam, adeoq; dubium Catholicum, indubitato Principe Orthodoxo postposito, absq; Anathematis Censura in Bulla Canæ Domini lata?

APud omnes consonum est, eum qui Hæresim dicitur abnegasse; & non exercet neq; profitetur Actu Fidem Catholicam; dubium esse Catholicum. *Corde enim creditur ad Iustitiam, ore autem fit confeßio ad salutem.* Dubius autem Catholicus pro non Catholico habetur; quia dubius Catholicus, non est indubitatus Catholicus, adeoque neq; verus Catholicus; sicut quando dubitatur, an aliquid sit consecratum vel baptizatum pro non consecrato nec pro baptizato habetur, *ut habetur cap. veniens de Presbyteris & non baptizatis.* Signa enim veri & non dubitati Catholicismi est exercitium & professio externa fidei, ut habetur apud Matth: *Qui me confeßus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* Ex quo apertè deducitur verum & indubitatum Catholici judicium, non aliud est, quam Professionem externam fidei, cum Ecclesia de occultis non videlicet, consequenter non exercens neq; profitens Religionem Catholicam pro Hæretico reputandus. *Quo supposito.* Non intelligo Quæstionem in eo Statu. *An Resp. Catholica poßit eligere Principem non Catholicum animo introducendæ vel dißeminandæ hæresis aut eiusdem conservandæ, vel studio opprimendæ immunitatis Ecclesiasticæ aut Status spiritualis perfrangendi intentiones*, eiusmodi enim Electores tanquam hostes Ecclesiæ, & apertos fautores Hæreticorum ipso facto incurrere Anathematis Sententiám, nulli dubium, sed si Resp. Cath. Libera prævisо favore conservandæ vel nutriendæ hæresis, solo temporali statu attento, nec considerando Religionis Catholicæ commodo atq; emolumento posśit Principem Actu non exercentem neque profitentem Religionem Catholicam, adeoque dubium Catholicum qui pro Hæretico reputatur ad gubernacula Regni vocare sine iactura conscientiæ, & absque incurrenda Censura in Bulla Cænæ Domini lata.

A RESO-

RESOLVTIO PRIMA

Ex Principijs Communibus Theologicis.

CErtum eſt apud omnes, Reſp. Catholicas introducere aut probare libertatem Hæreticæ pravitatis nullatenus poſſe, imo modis omnibus teneri, impedire, & Hæreſim propulſare: ut ex citandis patebit Canonibus, quia Hæreſis obeſt Vnitati Eccleſiæ, nocet ſaluti animarum & perverſionis minatur periculum. Tollerari autem quandoq; poſſe libertatem Religionis eorum ut ubi multitudo & potentia magna Hæreticorum, qui rebellionem concitare, arma ſumere, bellum movere, ſanguinem Chriſtianum fundere & Catholicos opprimere poſſent, alius quippe caſus conſervandæ vel ſatius tollerandæ Libertatis Hæreticæ non datur. Ex quo continuo ſequitur in Rep. Catholica ubi Hæretici tollerantur, Principem Hæreticum ſalva rectitudine conſcientiæ, & ut à Cenſuris ab Eccleſia latis ſint liberi, eligi non poſſe ob periculum multiplicandæ & validandæ in Rep. potentiæ Hæreticorum, qui inito fœdere cum alijs Regnis Hæreticis, facilè arma ſumere, & bella adverſùs Catholicos movere poſſint, Fidemq; Catholicam ſenſim opprimere ut in alijs Regnis & Provincijs Liberis facta vidimus. Si enim tam Divino quam humano Iure prohibetur conſortium Catholicis cum Hæreticis, ſi Eccleſia arcet eoſdem Hæreticos, à Regnis Catholicis ubi & inquantum poteſt & tanquam pia Mater non vult manere Iſmaelem cum filio ſuo Iſaac. Quomodo Princeps Hæreticus in Regno Catholico, in quo hactenus patiuntur Hæretici, ſine jactura conſcientiæ Catholicis præfici judicabitur? qui in Hæreſi eruditus, hæreſim abjurare dicitur & Catholicis obſervantiam nec exercet nec profitetur. Quis enim ſponſor, ejuſmodi Principem Catholicorum potius & non Hæreticorum futurum fore fautorem? qui regnandi cupiditate poſt adeptos Regni apices promittit ſe cultorem & profeſſorem Religionis futurum, & non aliter quis inde prudenter veræ Vocationis colliget indicium.

RESOLVTIO SECVNDA.

Ex Lege Eccleſiaſtica.

SAncta Mater Eccleſia ſub Anathemate prohibet, ne quis Hæreticos vel in domo, vel in terra tenere vel fovere præſumat *lib. 5. Decretal. 7. Cap. 8.* Si quis autem (inquit) in hoc peccato deceſſerit, neq; ſub Privilegiorum noſtrorum obtentu, nec ſub alia quacunq; occaſione oblatio pro eo fiat, aut inter Chriſtianos recipiat ſepulchrum *& Cap. 9. & 10.* Receptores Hæreticorum &c. ſententiæ ſubijcit, multò magis qui Principem Hæreticum, qui caput cenſetur Hæreticorum in Regnum Catholicum recipere vel recipi ſtuderent; ejuſmodi enim Principem in Solio Regni locare, eſt aperte Hæreſim recipere ex Concilio, Quod habetur *tomo 7. Conc. pag. 845.* vel ad ſummum eſt periculo conſervandæ, fovendæ vel diſſeminandæ hæreſis ſe exponere: quod ijſdem & alijs vetatur Canonibus in Conc. Mediolanenſi primo *lib. 1.* quod habetur *Tomo 1. Conciliorum.* Hortantur per viſcera miſericordiæ Dei Proceres & Magiſtratus Catholici, ut temporalibus commodis poſtpoſitis, ſpiritualia & cæleſtia præ oculis habentes arceant, imo pellant è gremio ſui Hæreticos. Principes verò & Magiſtratus hortamur, & per viſcera miſericordiæ Dei obteſtamur, ut cæleſte lucrum terrenis commodis præferentes, comercium & conſvetudinem Hæreticorum quam fidelibus pernitioſam & peſtiferam eſſe conſtat, pro ſua pietate ac ſtudio Religionis è ſuis Vrbibus & Oppidis amovendam & tollendam curent. Quis autem non videat Principem Hæreticum alias nunquam exercentem neq; profitentem fidem Catholicam. Sed poſt aſſecurationem anhelandæ coronæ profeſſionem publicam promittentem, integrum eſſe hæreticum; atq; adeo juxta Sanctiones Eccleſiaſticas à Throno Catholico arcendum & pellendum: contravenientes verò ob periculum diſſeminandæ

dæ,

dæ, propagandæ vel nutriendæ hæresis, incidere in Censuras à S. Ecclesia latas & fulminatas.

RESOLVTIO TERTIA

Ex Praxi Perpetua Regni Poloniæ.

UT omittam Sancita piorum & Orthodoxorum Poloniæ Regum, qui plura, eaq; severa fulminarunt edicta adversùs fautores & receptores hæreticorum, in Vladislai Iagellonis, Casimiri Iagellonidis Patris S. Casimiri, Sigismundi Primi, & aliorum, quorum primum promulgatum est A. 1520 2dum Anno 1534, sextum Anno Dñi 1557. Videatur Confœderatio in Generalibus Comitijs facta in Corczyn Principem, tam Spiritualium, quàm Sæcularium Baronum, Comitum, Militum, Nobilium, omniumq; Communitatum Singulariter singularum, & Vniversaliter universarùm, adversùs eum, qui hæreticum recipere, vel promovere aut verbum aliquod pro esse dicere auderet apud Herbum Herburtum *fol. 192.* Vbi hæc præcipuè observanda. *Quicunq; existens indigena Regni Poloniæ, Hæreticales errores facere & promovere vellet, contra talem sive tales cujuscunq; Status, gradus Conditionis, & præeminentiæ fuerit, sive Spirituales, sive Sæculares in eorum destructione consurgere volumus, & permittimas sub fide & decore nostro, absq; dolo & fraude, nec ipsis auxilio, consilio & favore patrocinari volumus, sub fide etiamsi sanguine, affinitate & quacunq; propinquitate fuerint nobis aut alicui nostrum conjuncti: nec pro eis loqui aliquot verbum, & eos, & eorum quemlibet talem volumus:* dum autem prædictam Confæderationem (quæ vim legis hucusq; tenuit in Polonia) aliqui Poloni exsufflare, et etiam in Confæderatione particulari Anno Dñi 1573, Varsaviæ habitâ contraponere tentarunt, quas sibi Nobiles aliqui spoponderunt pacem cum Hæreticis, remissionemq; pœnarum quoad Religionem; nihil non movere zelantissimi Proceres, & Regni utriusq; Ordinis ad comprimendos exorbitantes illos, pro conservanda pijssima & Catholica lege Patriæ. Primò namq; Protestatio valida fuit in Nuncijs terrestribus Palatinatuum, in eadem statim Varsaviensi Convocatione, *Secundè* licet Confæderatio illa Varsaviensis, vim legis, roburq; privilegij legitimi, nullum omnino habuit, ut pote non per Constitutionem in Comitijs Generalibus facta, sed privatim duntaxat combinata protestati nihilominùs sunt adversus eam Illustrissimi Episcopi in Castro Sochacoviensi Anno Domini 1573: quam fecerunt Iacobus Vechański Archiepiscopus Gnesnensis, Adamus Lenarski Posnaniensis, Petrus Myszkowski Płocensis, Albertus Zrembski Helmień. Episcopi. Tertia Protestatio fuit totius Palatinatus Plocensis in suo Castro Anno Dñi 1573. in qua Protestatione notatur sublimis candor, admirandus zelus Nobilitatis Protestantis dicti Palatinatus pro fide Catholica adversus hæreticos. Quarta Protestatio fuit, iterum Illustrissimorum Episcoporum, & aliorum Magnatum Polonorum coram Henrico Rege quam fecerunt Hieronimus Rozdrzażowski Episcopus Vladislaviensis, Lucas Kościelski Posnaniensis, Nicolaus Vehański Palatinatus Culmensis, Paulus Vehański Capitaneus Dractioven Georgius Mniszek Castellanus Radomiensis, ut omittam quam plurimos alios, specialiter autem in fine protestatur Episcopus Vladislaviensis supra nominatus de nullitate & invaliditate omniũ in favorem Henricorum attentatorum. Quinta fuit Declaratio ipsius Regis Henrici tam publicè quàm privatim facta Confæderationem videlicet dictam Varsaviensem fuisse & esse illicitam Reipub. Catholicæ obnoxiam, & Nomini Christiano pernitiosam ac pestiferam. *Vltima* Declaratio & Confirmatio omnium protestationum supradictarum Generalis in Regno Poloniæ Synodi Petricoviæ celebrati. Anno Dñi 1570, Vt patet libro 1mo Synodij Titulo de Fidei unitate servanda & tenenda, in qua hæc notatu digna ad exornandas conscientias, & puritatem fidei conservandam aperte Sacra Synodus profitetur fœdus illius reclamantibus Ordini Ecclesiastico & Catholico esse illicitum cum morte & inferno, ut dicit Isaias percussione contra Divinas leges Sanctissimæ institutas contra anterius Regni totius fœdus & Regni Regnumque Poloniæ pijssimas Constitutiones, quæ Deum observata fides sincera, & invi-

olata permansit & earum observantia omissa hæreses pullularunt contra ratio-
nem ipsius juramenti , & in confusionem Ecclesiæ Christianæ , in pessimum &
perniciosissimum exemplum, in perniciem Ecclesiæ ac fidelium, in fidem augen-
dorum & fovendorum dissidiorum blasphemiarumq; ad fundendam pacem & uni-
tatem veræ fidei Catholicæ, & consutilis tunicæ, hoc est Ecclesiæ Iesu Christi & his
& alijs causis uti antea nunquam Ordo Ecclesiasticus, nec Catholici consense-
runt, quinimo omni loco & tempore, tam in Gallia, quàm postea in Corona-
tione Henrici Regis, itemq; post Serenissimi Regis Stephani laudatæ memoriæ
Electionem, & in Andreoviensi Conventu & in Coronatione repetendo & com-
memorando contradicebant, & solenniter protestabantur, ita, ut nunc Sancta
Synodus, approbando omnes ejusmodi protestationes, declarat ejusmodi pactum
esse contra Deum, paciq; & unitati fidei Christianæ contrarium & perniciosum,
de quo coram Deo & Angelis ejus solenniter protestatur, contradicit illudque
anathematizat. Si quis autem cujuscunq; Status aut Conditionis prædictum fæ-
dus approbare, tueri, defendere aut illi consentire velit, hic authoritate hujus
Synodi Sanctæ Spiritualis quidem anathemathizatus declaratur, & ab Officio su-
spensus, beneficio quoq; privatus esse decernitur, Sæcularis vero Excommunica-
tionis sententiam ipso facto incurrat. Hæc piissimi & zelantissimi Antistites atq;
Proceres Orthodoxi illis sæculis de Hæreticis privatis promovendis vel recipien-
dis. Quid de Principe Hæretico alias in Avis & Proavis, primo Hæreseos fauto-
re, & per Europam Propagatore Solium Regni Poloniæ ambiente, illudq; atti-
bus omnibus falsisq; promissionibus quærente dixisset : Catholicissimi viri illi-
Quorum temporibus sicut & posthumis nostraq; ætate impietas tanta nunquam
nata iussa fuerat ; quandoquidem Iurejurando semper Polonia pravitatem detesta-
batur hæreticam , figebatq; tabernaculum testimonij in sola unitate, videlicet Ca-
tholicum Romanæ Fidei, cujus Orthodoxum & Indubitatum quærebat semper con-
servatorem. Et fuit eis terra subjecta, ideoq; Deus temporibus illis Polonis be-
nedicebat, Regnum ampliabat, subijciebat Gentes, addebat Provincias, Potenti-
am augebat, inter Nationes immortales Nomini Polono dabat glorias : cum au-
tem hoc sæculo Nostro Catholicus licet Principibus conniventibus & Proceribus
faventibus libertas Hæreticis , contra Patrias leges, in aliquibus locis permissa
Phana ædificari concessa, & ecce vix in oculis nostris Resp. scissa, tot Provin-
ciæ latissimæ avulsæ sunt , & datæ Svecis , Moschis, Vasallis , Cosacis, Turcis ,
conamur repetere quod perdidimus , sed non valemus. Iratus est Dominus Sa-
lomoni , quod aversa esset mens eius à Domino Deo suo Israel : Dixitq; Domi-
nus *Scindam Regnum tuum* , *& dabo illud servo Tuo. Quia ædificavit Salomon Phanum*
Chamos idolo Moab, pro vxoribus ubi addebant thiara, & immolabant Dijs suis. Semel
tantum Boleslaus permisit Prussis , ut à Christiana fide quam admiserant omnes
aliqui deficientes , ad pristinas sectas redirent; quid inde secutum sumpserunt, no-
tat Cromerus Lib. 6 Historiæ Polonicæ, *Sublatis animis Prussi, in illum, arma, ejus e-*
xercitum fuderunt ac profligarunt magna strage facta Polonæ Nobilitatis , multis præterea
calamitatibus afflictatus est Boleslaus, vt illius peccati pænas persolveret. Hæc in Polonia
Principe absoluto regnante similibus jussis, calamitatibus , bellis, cladibus , hoc
sæculo Regnum perimentibus ob abiectum fidei zelum, diminutam Religionis pie-
tatem, præstitumq; contra sancitas Leges Patriæ Hæreticis favorem , remedia sana
curarunt inclyti Reipcæ Proceres , & ad augendum Cultum Dei vnitatem firman-
dam Catholicæ Religionis eradicandos errores perfidiæ, stabiliendamq; in Regno
integritatem Romanæ veræ fidei, Sanctas Leges condiderunt ; novissimè in Ele-
ctione Michaëlis Authore & motore piæ memoriæ Nicolao Prazmowski, Archi-
episcopo Gnesnensi, utroq; Ordine ex tota Nobilitate assentiente. *Rex Catholicus*
esto, Catholicum vtiq; verum & indubitatum more antiquo voluêre Poloni. at
quid Catholicum verum? si non nisi veri & Orthodoxi ad Thronum semper assume-
bantur ex occasione duntaxat condita Lex grassantium, videlicet in Regno Hæretico-
rum cum Catholicis permixtorum, & in Laribus Patriæ debachantium, ut ad exem-
plum Regis totus componeretur Polonus Orbis. *Et sicut Rex sic & Grex* Catholi-
cus depulsus, & eliminatis Hæresibus unicus in Repb: Polona constituuntur.

aliter

aliter enim vnitas paci & purgati Catholicismi hoc potest detineri , & conser-
vari potest *Reginam* quoq; Remp. Catholicam fore & esse debere, sive Natione
sive Vocatione , eadem lege circumscripsit & firmavit Resp. & quidem Sancti-
ssimè. Si enim depravatum cor Salomonis , per mulieres alienigenas, per-
versumq; & divisum per ipsas illius Regnum , quid non perverterent in Polonia
his præsertim corrupris temporibus Reginæ aligenienæ Hæreticæ , cum assisten-
tibus ejusdem farinæ famellis , quæ ut serpentes irrepunt (inquit Sanctus Leo.)
blandè capiunt, mollitèr ligant, latentèr occidunt , de quibus S. Chrysostomus. *Ser-*
pentes sunt omnes mulieres Hæreticæ , dictæ filiæ serpentis illius, ad quem Deus in Persona
Ecclesiæ dicit *inimicitiam ponam inter te & mulierem* ; propter quam sententiam, inter
Catholicos & Hæreticos adesse non potest : Potissimum si mulier Calvina in-
Hæresi obstinatissima , quæ Connubium Principis Catholici , retinendæ Sectæ a-
more repudiavit, Hæreticumq; ideo maluit , quid inquam cum Catholicis age-
ret mulier ista in Solio Regni ? Professuram asserit Fidem Catholicam , Ejurata
Secta Calvinistica (quod ob obstinaciam ejus vix credibile) sed quod quæso mo-
tivum? vel quis finis esset ejusmodi vocationis , aut quæ securitas in pertinaci-
num Hæretica exercendæ pro futura & retinendæ novæ Professionis. Promise-
rat Helena Imperatrix Moschoviæ Schismatica renuntiare Schismati , & Vnitati
adsciscí Romanæ Ecclesiæ , copulata autem Matrimonio Poloniarum Regi , ab
eo ardentissimis precibus fletibusq; instantissimè petijt , pro instruenda Synagoga
Schismaticorum ; & nisi Meandri pietas obstitisset ; in visceribus Regni & in-
tota Polonia Schisma plantatum & radicatum, iam dudum fuisset. Hæc est fæ-
minarum Schismaticarum multò magis Hæreticarum fides : Exploratum autem
habemus omnes, mulierem illam Coronam ambigentem Nostram, Calvinam esse
firmissimam, ideoq; cum Principe Bavaro Matrimonium sprevisse , Catholicum
quod perfidiæ futuræ si vocationem fingeret, magnificum est argumentum.

RESOLVTIO QVARTA

Ex Ratione & Absurdis consequentibus.

SIt sanè Rex Poloniæ ex Generationibus & Progenie Hæreticus, sit & Regina
ex Avis & Protavis Calvina, revocet uterq; ejuret Sectas suas propter adipi-
scendam Coronam Poloniæ , utiq; non æternæ Gloriæ : coniuret futura
Conventa Pacta, de profitenda & exercenda fide Catholica atq; immuni-
tate servanda Ecclesiæ hæc faciet Hæreticus sine dubio, apud quem tantum æstima-
tur Iuramentum, quantum Iumentum: ambitionis , & Solij Regalis obtinendi tu-
pidus , desiderio iurabit & tantum volueritis per se & per alios iurabit Sicut iam
die 13. Iulii in Ecclesia Collegiata Sancti Ioannis Varsaviæ ante Venerabile Sa-
cramentum coram Episcopo Vladislaviensi per Ministrum suum Calvinum; quod
impiissimum infamosissimum & vix à sæculis auditum inter Catholicos exemplum,
inter Nationes execrabile , & Nomini Polono nefandissimum ; ut Calvinus pro
Luterano super Punctis Catholicis ab Hæretico observandis iuret) iuravit. Quid
sequitur inde? ergo in Iuramenti per Ministrum Calvinum facti ; vel per Lute-
ranum faciendi. Zelator erit Catholicæ fidei integerrimus, expugnator Hæresum
acerrimus, Libertatis Ecclesiasticæ Propagator strenuus. Sed quis Sponsor? quis
Propheta ? vel cui revelatum est, cum Iuramenti præstiti vel præstandi irrefraga-
bilem & inviolabilem fore cultorem Catholicismi potiùs mori Hæresecos fautorem &
Promotorem futurum , cum Deus solus intueatur cor : cum & ex literis Catho-
licorum in Imperio degentium habeamus pro certo & Indubitato eum Hæreti-
cum huiusq; esse pertinacissimum & publicum elusorem Romanæ fidei, quidquid
in contrarium efficient illius A S. Sedæ fidem Catholicam parum vel nihil curan-
tes , & Spiritualem Statum destruentes supplantare conantes. Quis inquam spon-
sor sui Iuramenti? nonne Principes Catholici electi coniurabant ; conventa Pacta
aliquos nihilominus in aliquibus, (fide tamen excepta) transgressores vidistis, nonnè
contra Serenissimum Defunctum tantorum meritorum Orthodoxorum Principem
cia-

clamastis, & vociferastis, eiusq; prolem à Throno exclusistis, quod Conventa Pacta quæ iureiurando, in cæteri servanda promiserat infregisset? quid illi fecistis? quid clamoribus vestris evicistis? ex ordine tamen æqualitatis ille assumptus erat, adeoq; libertatem haud opprimere poterat, nihilominus ad observantiam Pactorum Coniuratorum eundem non adegistis. Et quid Principi Hæretico Potenti & Resoluto dicturi estis. Si iuramenti immemor, ad pristinum reversus vomitum, iura Patriæ infringeret? Hæreticos protegeret, Spirituales contemneret, sicut iam contemptos ab illo Novimus ex Literis Eminentissimi Primatis ad eum nuper datis, si quæ malè tractaret Catholicus, ac libertatem imminuere vellet, quid inquam ei dicturi estis? qui sua & vicinorum suorum Colligatorum Hæreticorum fretus potentiâ ; unumquemq; vestrum in particulari & in unversum omnes profundere & obruere atq; comprimere facilè poterit.

Sed dato per possibile, quod Iuramenti præstandi de profitenda Catholica fide foret observator, & Nobilitatis paritèr ac Libertatis Polonæ amator eximius: nonne ad amabilem Principem Nobiles concurrent indiscriminatim omnes, in Polonia autem sunt plures Nobiles Hæretici, quorum alij Phanis ædificatis gaudent, alij gauderent ædificandis, sunt & Nobiles Catholici qui in possessionibus suis lege licet obvia, Phana & Synagogas fovent Hæreticorum, non animo (ut illi dicunt) fovente vel promovente Hæresis, sed temporalis gratia emolumenti Quid non facerent Nobiles illi, apud amabilem Principem novum Catholicum & Hæreticum inveteratum. Hæretici quidem Nobiles pro exercitio libero eorum Religijs, Catholici verò pro lucro temporali ab Hæreticis habendo. Primas apud Regnantem peterent gratias, nonne ab eodem hac in parte obtinerent indulgentias. Cum autem in Republica Nostra sicut Nobilitatis sic & Libertatis fit æqualitas, omnibus utique pro lucro temporali ab Hæreticis percipiendo, Synagogas eorum liceret ædificari, hacq; methodo Regnum Catholicum ex Catholico posset facile fieri Hæreticum, Si in Civitatibus, Oppidis, Pagis, ædificarentur turpis lucri gratiâ Synagogæ Hæreticorum, eiusmodi enim, Libertate Polona Principe favente Hæretico, undiquaq; Hæretici invitarentur: Regina quoq; Calvina (inquis) evocabit, Sectam eiurabit. permitto ut possibile, sed quis quoq; Sponsor feminеæ fidelitatis? iurare poterit pro se: non pro alijs, assecuravit quis vel asseverare poterit, iam non conducturam fæmineam assistentes hæreticas, quæ postea initis cum Gente Polona connubijs, eorum amicos ut solent de muliere, mollitèr ligare, atq; pervertere possent, vel ad summum radicatis eiusmodi in Regno Matrimonijs, esset, Prolis in varias Religiones divisio; adeoq; sensim ac sensim sectarum propagatio & multiplicatio, sicq; ex magna Babylone fieret tamen habitatio Dæmonum, de quo Angelus Apocalypticus: *Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis, quia peccata eius pervenerunt usq; ad cælum & recordatus est Dominus iniquitatum eius*: aut ex hac Babylone egredi Catholici debebimus influctuemur; vel si ab ea separari neglexerimus, cum ea flagellabimur; eatenus & peribimus. Agite tamen in Nomine Domini Exercituum Proceres Orthodoxi pro Patrijs legibus, integritate fidei, in qua ablactati & enutriti estis, & duplicate ei duplicia Apoc. 18. Hæreticum foras mittite, date promissum à Deo Patriæ Christianissimum Principem. Confortamini, & Dominus erit Vobiscum.

CONCLVSIO
Cum Responsione ad Obiecta.

NOn nobis iniiciant Iagiellonem ex paganismo assumptum, aut Sigismundum Luterariâ Sectâ infectum, quorum temporibus (ut verum & indubitatum est) illis ipsis cooperantibus Regibus, Religio Catholica crevit, hæreses extirpatæ multæ, in Provinciis uti Lituania, Samogitia, Pomerania, & alibi fides Romana plantata est, non inquam objiciant hoc scioli, nec casus similes asserant emersisse: quod aliquando Respubl. nostra ex Paganis vel

Secta-

Sectariis Principibus ad Regni sui vacasset gubernacula. Legant qui nondum didicerunt Historias Polonas, & comperient Iagellonem cum fratribus suis, licet ex Pagano Patre, sed ex Matre Christiana natum, ad eadem in Christiana Religione enutritum, & elevatum tres Legatos ad Rempubl. ante Electionem misisse Suridonem Ducem Bori/echum & Hanulonem Capitaneum Vilnensem, qui testati sunt, eum more gessisse Christianorum, licet baptizmate initiatus non fuerit: supra dicti Legati, scribit Cromerus *Lib 14* de Rebus gestis Polonicis Iagiellonis præmissis multis, quæ ad amplitudinem Reipubl. Polonæ, & ad incrementum Religionis Chrjstianæ pertinere videbantur, Polonis responderunt, quo ad Religionem Christianam attigeret. Iagiellonem cum cæteris fratribus Christiana Matre natum, iam inde ab ineunte ætate Christiana Religione imbutum, non alienum ab ea gerere animum, quamuis eius mysteriis de more imbutus non sit. Ex quo apertè costat, Iagiellonem fuisse Cathehumenum, sunt autem intra Ecclesiam non extra; sicut & in Historia Orientali legimus. Principes Orientis in adulta ætate Baptismi ritum in usu habuisse; Christianam tamen practicasse, observasse Religionem, ex quibus ad Imperia Orientalis Ecclesiæ assumebantur, nec pro Paganis reputabantur, non tamen his contentis testimoniis Nobiles Poloni, quod Christiana Matre Iagello natus & in Christiana Religione educatus fuerit, sed pro maiori habenda fide atque securitate profitendæ per eum atq; ampliandæ Religionis Catholicæ, ipsius Iagiellonis Fratres in pignus fidelitatis illius custodiendos ab eo requisivisse; qui obsidum loco Polonis sic volentibus à Iagiellone dati fuerunt: Vithaudus cum Michaele Duce, & Lubarto fidem suam Regno & Proceribus Regni obstrinxére, & obsidum loco fuêre, *Cromerus l. 15. & Matthias de Miechovia lib. 4. Chron. Polon.*

Sigismundi Tertij exemplum, qui asserunt eum hæreticum à Republica electum, stultè asserunt, vel mente insaniunt, cum ex Historia Polona & Suetica habeamus exploratissimum Sigismundum ab Adolescentia fidem suscepisse Catholicam, & ob invictam constantiam cum nec minis nec precibus flecti potuerat à Patre, ab eodem sequestratum & incarceratum fuisse. Cuius pietate & admirabili zelo permoti piissimi Poloni, unanimi suffragio contradicente nemine propagationem fidei ab eo expectantes, ad solium Regium promoverunt. Hæc erat pietas, hic zelus verus Orthodoxorum Polonorum, qui in Electionibus temporalibus postpositis, Spiritualia proponebant, de augenda & propaganda fide consultabant ferventissimè, Deusq; ideo Patriæ benedicebat, Regnum ampliabat, secus facientes à Sanctis Patriis Legibus vestigiisq; salutaribus Patrum suorum deviantes Pseudo Poloni sperent bella, concussiones, oppressiones, desolationes, clades, ruinas, & mille à Deo maledictiones, quæ si evitare voluerit Polonia, audiat infinitæ veritatis oraculum. Proverb. 22. *Ecce derisor, & exibit cum eo jurgium cessabuntq; causæ & contumeliæ.* Venerabilis Beda interpretatur, *Ecce Hæreticum, & cum libertatem ei ademeris, Catholicæ paci auxilium præstabis.*

Ad Majorem DEI Gloriam.

Augustus II
Polonorum Rex

Frydrychowicz Dom.

Saxa percussit Philistaeum seu Responsio theologica Cracoviensis ad Resolutiones Theologi Varsav. cuius falsitas et dogmata depravata deteguntur, innocuus honor Serenissi. Regis August. II defenditur et vindicatur.

11.

SAXO, PERCUSSIT PHILISTÆUM.

SEU

RESPONSIO THEOLOGICA CRACOVIENSIS,

AD

RESOLUTIONES THEOLOGI VARSAVIENSIS.

Cujus Falsitates & Dogmata depravata.

DETEGUNTUR.

Innocuus Honor

SERENISSIMI REGIS.

AUGUSTI II.

DEFENDITUR & VINDICATUR.

Inclyti Electores eiusdem REGIS Poloniarum, à Censuris Bullæ Cænæ Domini Immunes

DECLARANTUR.

Totaq; Serenissima Respublica Polona à cavendis pestiferis Theologi Varsaviensis Decisionibus.

EXPOSTULATUR.

In Nomine Domini Amen.

RESPONSIO THEOLOGICA CRACOVIENSIS,

AD

RESOLVTIONEM THEOLOGICAM VARSAVIENSEM,

Super Quæstione Rempublicam Polonam, & Statum Christianitatis, concernente.

Vtrum Respublica Christiana libera habens Ius eligendi Regem possit sibi adsciscere Principem, non exercentem neq; profitentem actu Religionem Catholicam, adeoq; dubium Catholicum indubitato Principe Orthodoxo postposito, absq; Anathematis Censuris in Bulla Cænæ Domini? ita inquirit Theologus Varsaviensis.

1 REsponsurus huic Quæstioni. Præmitto priùs Textum D. Pauli 2dâ *ad Corinthios* Cap. 11. v, 13. *Pseudo Apostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum: ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo Magnum, si Ministri eius transfigurentur velut Ministri iustitiæ.* Hæc Apostolus. Porrò modum transfigurationis utriusq; explicat Dion Carthus: hìc dicens: *Operarii subdoli: id est: fallaces Ministri transfigurantes se:* id est *speciem* Religionis *assumunt, sanctitatem simulant, & per exteriorem apparentiam ostentant se, ac si essent veri Apostoli.* Modum verò transfigurationis sathanicæ ita declarat. *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis: idest, in similitudinem Christi, Angeli Magni Consilii: multa quoq; vera & bona suggerit, quatenus credatur missus à Deo, & fallat.* Hucusq; Dion. Carthus.

2. Præallegata doctrina Apostolica, necnon Carthusiana explicatio (ex ipsis meritis Causæ) *Resolutioni Theologicæ Varsaviensi*, secundùm proportionem censenda est convenire. Equidem Imo. *Resolutio Theologica Varsaviensis*, primo statim aspectu apparet Apostolica, quia fidem Christianam zelare videtur, Dubiumq; Catholicum excludit à Regno Catholico. 2do. Eadem *Resolutio* suum Resolutorem ostentat Ministrum Iustitiæ, quia nihil iustiùs deferre Sceptrum indubitato Principi Orthodoxo, non verò dubio Catholico. 3tio. Speciem Religionis assumit, quia pro Cultu SacroSanctæ Eucharistiæ coram Calvino neqùaquam exponendæ, in quarta Resolutione ferventèr perorat. 4. Sanctitatem nec simulat, quia pro Sanctis Sanctæ Ecclesiæ legibus á Summorum Pontificum Canonibus audacter (prout decet) loquitur. 5. Exteriori apparentiâ caret, quia ad Principes extraneos nullum interesse iudicatur habere. 6. Multa vera suggerit: nimirum, *in Prima Resolutione*, Hæreticos non debere tollerari,

inter

inter Respublicas Catholicas; *In secunda Resolutione* affirmat, & benè, Fautores Hæreticorum Anathemati esse subiectos. *In Tertia Resolutione* veraciter asserit, Rempublicam Polonam fulminasse Edicta, adversùs omnem Hæreticam impietatem, & Regem Catholicum sibi firmasse immobilitèr, idq; Lege Publicâ magis in cordibus, quàm in codice exarata. *In Quarta Resolutione* eruit consequentias timoris plenas, de non servanda iurata fide Principis. In *quinta* tandem ponit *Conclusionem*, contrarias solvendo Obiectiones. Certè multa vera & bona affert iste *Resolutor Varsaviensis*: quæ omnia meliora forent, si à Deo fuisset missus Apostolus ad Rempublicam Polonam; cui, dum suam *Resolutionem* proponit, adsit Iudex Deus, scrutator cordium, an fallere simplices animos Polonorum pestiferis subtilitatibus intendat? an verò intrepidè loquatur veritatem? Proindeq; ut in ipsius *Resolutione* inveniamus veritatem, suppositum ipsius fundamentale examinandum est, Principaliter, de verbo ad verbum Textum ipsius apponendo.

TEXTVS I. THEOLOGI VARSAVIENSIS.

Apud omnes consonum est, eum, qui hæresim dicitur abnegaße, & non exercet neq; profitetur actu fidem Câtholicam, Dubium eße Catholicum. Corde enim creditur ad Iustitiam, ore autem fit Confessio ad salutem.

3. RESPONDEO, ad hunc *Textum* ex Doctore S. Divo Thoma Aquinate 2. 2. Qu. 3. Art in Corpore, cum universis Theologis sic sentiente, hisce expressis. *Præcepta affirmativa non obligant ad semper, etsi semper obligent: Obligant autem pro loco & tempore, secundùm alias circumstantias debitas, &c. &c. Sic ergo confiteri Fidem non semper neq; in quolibet loco est de necessitate salutis.* Hæc S. Thomas. Utinam Theologus Varsaviensis præallegatam perlegisset, intellexissetq; doctrinam, animadvertisset forsitan, Principem Theologorum Catholicorum non stare pro sua Sententia, cum omnibus Universitatibus, ejus doctrinæ firmiter inhærentibus. Affirmat quippè Theologus Varsaviensis: *Apud omnes consonum esse Principem & quemcunq; alium fidelem esse dubium Catholicum, qui non exercet, neq; profitetur actu fidem Catholicam.* Ast Doctor Angelicus negat verissimè, Principem esse Dubium Catholicum, non exercentem neq; profitentem actu fidem Catholicam, in omni loco, & tempore, dum scilicet non adest obligatio & necessitas. Proindeq; *Textus Theologi Varsaviensis* apud Doctorem Sanctum, & universalitèr, apud omnes Theologos hanc difficultatem de fide exterius profitenda in Decalogo desingentes, omnino dissonus est veritati & ipsius salutis necessitati ad semper: Unde evidenter sequitur, Principem non exercentem, neq; profitentem actu fidem Catholicam ad semper, indubitatum, certum, immobilemq; esse Catholicum.

Impugnatur Secundò *Textus Varsaviensis* sic; Iuxta D. Thomam in loco citato, Confiteri fidem, est de necessitate salutis, secundùm externam oris & operis professionem, in aliquo loco, & tempore, quando scilicet, per dimissionem hujus Confessionis subtraheretur honor debitus DEO, & etiam utilitas proximis impendenda: puta, si aliquis interrogatus de fide, taceret: & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem; vel quod fides non esset vera: vel alij per ejus taciturnitatem averterentur à fide. In hujusmodi enim Casibus Confessio fidei est de necessitate salutis. Et hæc est genuina Thomistica, imô Catholica Sententia, de necessitate fidei exteriùs profitendæ.

4. Stemus hic cum *Theologo Varsaviensi*, & fusiûs opportunitatem, obligationem, necessitatemq́; fidei exteriùs manifestandæ videamus. Ordinariè Theologi ponunt subsequentes Casus fidei exterius Confitendæ.

Primus est, quando quis Ecclesiæ Corpori aggregatur, & veluti inseritur; quod in nova lege fit per Baptismum.

Secundus Casus est, & necessitas in articulo mortis, si pro tunc homo est rationis Compos.

Tertius Casus & Obligatio est, Juxta Trident. Sess. 24. Cap. 12. de Reform. & Sess. 25. Cap. 2. & Pius V. motu proprio, qui incipit. *In Sacrosancta:* Pro his qui promoventur ad beneficia curam animarum habentia, & ad Canonicatus, & ad Cathedras Vniversitatum. Hosce tres Casus, tanquam necessarios, non potest *Theologus Varsaviensis* obijcere SERENISSIMO PRINCIPI REGI POLONIÆ ELECTO: *Non primum*; quia in Confessione Sanctissimæ TRINITATIS juxta præscriptam à JESU CHRISTO formam Baptizatus est. *Non secundum*: quia nos omnes longissimam, Orthodoxam, triumphalius pro CRVCE CHRISTI exornatam meritis, REGI Serenissimo apprecamur, & à Divina Misericordia humilitèr efflagitamus vitam. *Non tertium*: quia Imminens Regalis Coronatio, non est ad beneficia Ecclesiastica, aut Vniversitatum Cathedras promotio. Iam ergo evidens est SERENISSIMVM REGEM ELECTVM ex parte Proprij Oris, necdum habuisse opportunitatem, & necessitatem exteriùs fidei profitendæ.

5. *Quartus tandem Casus est*, Ratione Charitatis *interdum* ad Confessionem exteriorem Fidei obligantis: *v. g.* Quando aliquis videt alios ab hæreticis depravari, nisi ipse fidem tueatur, aut profiteatur; tunc enim ex præcepto illo, quo DEVS unicuiq́; mandavit curam habere de proximo, tenetur eam profiteri exteriùs: prout docet D. Thomas in præallegata superiùs Quæstione in Responsione ad primũ, depravantibus enim hæreticis fideles, instar pro tunc Manifestũ periculũ fidei evertendæ.

Nec quoq́, hunc Casum *Theologus Varsaviensis* opponere potest SERENISSIMO REGI. Adferrat vel unicum saltim exemplum, quòd SERENISSIMVS AVGVSTVS II. viderit à suis subditis hæreticis aliquos depravari fideles: si allegabit Apostatas profugos: tales priùs suâ perversâ voluntate sunt facti Heretici, antequam adirent, audirentq́ Hereticos, sibi prædicantes. Si ipsam reprimendam hereticorum audaciam Causabitur; hoc sanè admitteret Doctor Angelicus, si Confessio fidei manifesta, (in Resp. ad 3.) & utilitatem possit afferre pro illo tunc, & turbatio publica non solùm fidelium, verùm etiamipsorummet infidelium abesse. Et quoniam prudentissimus Orthodoxus Princeps, ex suæ fidei manifestatione animadvertit non nisi cedes contra fideles exercendas, rebellionem contra Principem exoriundam, in toto Imperio Civilis belli tumultus gravissimos accendendos, cæteraq́; inconvenientia subsecutura; ideoq́; non tenebatur huc usq́;, Sanctam Fidem Catholicam intra Dominium suum propalare. Ergo deficiente obligatione, opportunitate, & necessitate, exercendi, & actualitèr profitendi fidem exteriùs, post abjuratam hæresim, firmiter, immobiliter, substantialiter, Erat, Est, Eritq́; Divina Cooperante gratiâ per longissimum subsequentis vitæ decursum Catholicus indubitatus, usq́; ad visionis beatæ felicitatem.

6. *Quintus adhuc Casus & necessitas exteriùs Confitendæ fidei, est.* Conservatio honoris Divini. Honor autem Divinus exponeretur periculo; si interrogatus de Fide taceret; unde regulariter loquendo (*vide Gonethum Disp. 7. de actu exteriore fidei Art. 2.*) Interrogatio facta tempore persecutionis à Tyrannis, inducit obligationem profitendæ exteriùs fidei, ne per ipsius taciturnitatem honor Divinus evacuetur. SERENISSIMVS REX Noster Orthodoxus AVGVSTVS II. omnino est, fuitq́; extra talem Casum. Ergo non habet etiam in quinto Casu necessitatem & obligationem profitendæ exteriùs fidei Catholicæ.

7. Forsan *Theologus Varsaviensis* posset facere instantiam ex parte subditorum hæreticorum Interrogantium; sed hanc instantiam præoccupavit & solvit Eminentissimus Cardinalis IOANNES de LVGO, *Disput.* 14. *Sect.* 2. Num. 28. De fide. Hæc scribens *Facilius silentium potest excusari, quando interrogaris ab homine privato, cui poteris respondere*; Quid ad te? aut quæ tibi hæc potestas examinandi meam fidem?

Quibus

Quibus verbis magis indicas contemptum Personæ interrogantis, quàm fidei defectum. Hæc Eminentissimus. Sed ecce contra Eminentissimum, & Doctissimum Theologum Cardinalem, oppositum docet *Theologus Varsaviensis*, dum absolutè & sine ulla distinctione: (quam Sancti Patres universaliter adhibent) affirmat *Principem non exercentem, nec profitentem, voce externa Fidem Catholicam esse Dubium Catholicum.*

8. *Sextus Casus profitendi Fidem Catholicam exteriùs est*: quando Actum aliquem Religionis debitè & ut oportet exercere non possumus, nisi verbis aut signis ipsam fidem profiteamur. Nunc ergo jam sumus in Statu Obligante ad externam Fidei Catholicæ professionem. SERENISSIMVS PRINCEPS Electus REX, proximè est Coronandus, & Sacro Vngendus Chrismate. Vnctio hæc, jam à Serenissimo solenniter facta prærequirit externam fidei professionem, ut tantò religiosiùs percipiatur, quantò augustiùs in se continet donum: quod Petrus Blezensis Epistola 10. sic explicat: *Magna* (inquit:) *est efficacia huius Sacramenti: Nam de David postquam à Samuele unctus est,* (*Scriptura testatur,*) *quod directus est Spiritus Domini* (ecce donum Vnctionis Sacræ) *in David, à die illa, & in reliquum. Saul quoq; die illâ, quâ Olei lenticulâ à Samuele perfusus est, mutatus est in Virum alterum, & insiliente in eum Spiritu Domini, cùm accessisset ad Cuneum Prophetarum, cum eis prophetare incepit.* Hucusq; Blesensis. O felicem tanti Principis diem Coronationis! quam supremis desiderijs omnes Iusti, omnes fideles, omnes filiali corde, Rempublicam Polonam diligentes expectamus, & exoramus. Hæc dies dabit nobis AVGVSTVM Patrem Patriæ, jam Augusta Liberalitate probatū, expertum, manifestum: Hæc dies AQVILÆ Sarmaticæ dabit cor AVGUSTI validissimum, ut infirma Patria reviviscens, ad pristinam redeat sanitatem. Hæc dies pluet de cælo *Saxum*, quo Ferreæ Portæ Otthomanicæ conterentur; *Saxo*, Philistæus Gigas Constantinopolitanus percutietur; *Saxo*, Columna pro Gloria Crucis CHRISTI erigetur triumphalis: Totaq; Polonia abundantissimè hauriet Oleum de Saxo Durissimo, hostibus, sed dulcissimo Civibus: sed pro nunc obsequentioris affectûs sistamus Stylum, & ad *Theologum Varsaviensem* redeamus.

9. Producat quæso *Theologus Varsaviensis* (ne solus sapere videatur) vel unum Theologum, qui doceat externam fidei Confessionem non semper & ubiq; manifestatā, destruere Certum Catholicum, & ex Certo Catholico reddere dubium Catholicum. Nullum profecto monstrabit, quia apud omnes Consonum est, sive eum qui ab infantia Baptismi fide receptâ, à peste hæretica alienus extitit semper; sive eum, qui peste hâc diaboli fraude infectus, & jam Gratiâ Christi sanatus, stabilis factus est Catholicus, dum Vterq; non exercent, neq; profitentur actu fidem Catholicam, cessante Præcepti Affirmativi Obligatione, & Necessitate. Apud omnes (inquam) Consonum est, quod uterq; istorum sit Certus, stabilis, & indubitatus Catholicus.

10. Multa quoq; Sanctorum exempla adsunt, etiam Pastorum, & Præsulum Sanctissimorum, qui non semper fidem profitebantur exteriùs, salubriter per suam fugam, aut per salutarem laudabilemq; taciturnitatem (juxta illud Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus*) Consulendo fidei Conservationi; idipsum D. Cypriano affirmante. *Qui interim cedit, non fidem negat, sed tempus expectat.* Manifestum hujus rei adducit exemplum Eminentissimus Cardinalis Cajetanus, in 2. 2. Qu. 3. Art. 2. hæc scribens: *Beatus Sebastianus quando erat occultè Christianus, sciebat, quod alij credebant cum non esse Christianum, & non curans de hoc ad tempus, propter bonum finem non peccavit.* Hæc S. Ecclesiæ Princeps Purpuratus; ex quo hanc subsumamus paritatem. 1. Sanctus Sebastianus erat occultus Catholicus: & Noster Serenissimus erat occultus Catholicus. 2 Sanctus Sebastianus sciebat quod alij credebant eum non esse Christianum (& sermo hîc procedit de infideli positivè, seu de non Christiano fidem Catholicam non exercente actu, imò de non Christiano, qui à Paganis reputabatur pro Pagano:) Et Serenissimus sciebat quod alij credebant eum non esse Christianum Apostolicum, & Romanū Summo Pontifici obedientem. 3. S. Sebastianus non curavit infidelium credulitatem falsam, de se conceptam: & Serenissimus non curavit falsam de se Hæreticorum existimationem. 4. S. Sebastianus occultus Christianus erat propter bonum finem, nimirùm propter Conservationem fidei, &

ideò non peccavit occultando fidem: Et Serenissimus occultus Catholicus erat propter bonum finem, & ideò non peccavit occultando fidem.

11. Si quæris bonum finem in Serenissimo. Principalis est, exaltatio & Promotio Sanctæ fidei: suo exemplo aliorum Principum attractio ad Ovile Christi, juxta dandam opportunitatem: suavis subditorum allicientia ad gremium Ecclesiæ Romanæ: suæ corporalis salutis Orbi Christiano contra Turcas persummè necessaria, conservatio: tumultuum periculosiorum præventio: (& juxta mentem D. Pauli 1. ad Corinth. Cap: 7. ℣. 14.) Serenissimæ Consortis, (de qua benè speramus per DEI misericordiam) propè diem futura per Serenissimum fidelem Maritum Sanctificatio. Alios altiores fines in thesauris Divinæ Sapientiæ, ac providentiæ perscrutari pertimescimus.

Quærant nunc Universi & singuli, à *Theologo Varsaviense*, quid nam dicturus sit, ad allatam paritatem de utroque. Omnino necessarium est, aut utrumq; condemnare, aut utrumq; à damnatione Dubij Catholici absolvere. Sed tempus est redire ad immediatam *Textûs Varsaviensis* Continuationem.

TEXTUS II. THEOLOGI VARSAVIENSIS.

Dubius Catholicus pro non Catholico habetur, quia dubius Catholicus non est indubitatus Catholicus, adeòq; nec verus Catholicus.

12. RESPONDEO Ad hunc Textum directè contra *Theologum Varsaviensem* ex ejus verbis sic argumentando. Dubius *Theologus Varsaviensis* non pro Theologo habetur, quia Dubius *Theologus Varsaviensis*, non est indubitatus Theologus, adeòq; nec Verus Theologus. Motivum dubitandi de ejus *Theologatura* est in ipso singularis audacia impugnans veritatem dogmaticam, quam universitas Nobilissimorum Theologorum docet, defendit, & approbat. Sed his omissis retorsionibus solidiora argumenta proponenda sunt contra ipsum: Itaque.

13. RESPONDEO *2do.* Ad *Textum* ex parte subjecti dubitantis, sic formando Argumentum. Dubius Catholicus: aut est in se intrinsecè, & in suo intellectu Dubius; aut est, extrinsecè, & in alieno intellectu Dubius.

Serenissimus Noster non est Dubius Catholicus in se, & intrinsecè, seu in suo intellectu. Quia ex dono speciali supernaturali Anathematizavit omnem hæresim, condemnavit omnem errorem fidei Catholicæ mediatè, & immediatè oppositum, Corde immobili adhæsit, & adhæret firmiter, persanctè, & inviolabiliter Universis Articulis fidei, prout ab una Sancta Ecclesia Catholica proponuntur, & explicantur; & *quod corde credidit ad iustitiam, hoc ore Confessus est, & confitetur ad salutem, semper*, ubi necessitas expostulat præscripta, à Sanctis Patribus, Orthodoxisq; Theologis: ac proinde Serenissimus non Dubius, sed Indubitatus est Catholicus.

14. *Item.* Dubius in fide, intrinsecè & ex parte sui intellectûs dicitur ille, qui judicat, non esse omnino certum id, quod fides dictat: etsi in hoc firmus sit, Hæreticus est. Legatur Sapientissimus *Ferre* Hispanus Tractatu 2do, *de fidei Oppositis Vitiis*, Qu. 14. § 2do per totum. Et *Gesualdus* de Primo Præcepto Decalogi cap 4. Num. 10. ait. Dubium in fide tunc esse existimandum dubium Hæreticum, quando deliberatè, & scienter vult de rebus fidei sibi sufficienter propositis dubitare. Idem Vniversaliter docent Theologi.

Theologus Varsaviensis in tota sua Resolutione asserit Serenissimum Dubium in fide. Vnde quæso ipsi constat, & quo ex motivo intrinseco, quòd aliquando in intellectu Serenissimi adfuerit intrinsecũ, deliberatumq; judiciũ, de rebus fidei fluctuans? Cum tale intrinsecum judicium nemini revelatum, sit soli DEO Notum. Doceat nos *Theologus Varsaviensis*, vel de Revelatione istius judicij sibi particularitèr facti; exponemus ipsam ad examen coram Tribunali S. Inquisitionis: sciemusq; quis locutus fuerit: An *Prophetes* (3. Reg 13.) *De Bethel Seductor*? An *Propheta, Vir Dei in sermone Domini*?

15.

15. Enimverò Noster SERENISSIMVS REX, Vir Bellator ab adolescentia sua, Arcana fidei non scrutabatur reflexè, nec scrutatur: Verùm prout erant sibi proposita, sic cum lacte Materno hausit eadem parvulus, & ambulabat ut parvulus. Sed factus Vir, præcinxit se Virtute fidei Catholicæ, sumpsit Scutum fidei, induit loricam justitiæ, induit omnem armaturam DEI, AVGVSTVS Miles CHRISTI, simpliciq; Corde credidit, & credit, quidquid Sancta Romana Ecclesia credit. Cum ergo sit fidelis Miles CHRISTI, & nunc Datus Antemurale fidei Catholicæ, bella Domini tractare cogitat pro fide Catholica, non verò de fide discursus formare: extra vaginam, gladium Regalem in manibus contra Lunam Ottomanicam mavult perpetuò ad defensionem fidei portare, non verò, intrá intellectum secum decertare. *Ignorant fluctuare Saxa; rident petræ ventorum impulsus, nec Adamas quatitur ictu.*

16. Appositè *Prosper Fagnini* in prima parte Primi decretalium fol: 5. ex D. Thoma Aquinate adfert textum pro Nostro Serenissimo militantem, scribens: *Non imputatur laicis si non inueniantur pertinaciter peruersæ doctrinæ adhærere, sed in talibus ex simplicitate deficiunt.* Serenissimus itaq; Noster peruersæ doctrinæ nunquam adhæsit pertinaciter: miles semper fuit, arma tractauit, & defectûs fidei, qui in ipso fuit, ex simplicitate fuit. Quod si me interrogas, unde sciam probabiliter, quòd Rex Electus pertinaciter non adhærebat doctrinæ perversæ? Respondeo. Scio ex verbis Christi dicentis. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Scio ex Statu militum qui ex sua natura de *armis* non uerò de *articulis* fortissimè disputant. Scio ex Celsissimo Principe Episcopo Iaworiense suo Gloriosissimo Consanguineo, cuius admonitionibus salutiferis dulciter assentiebatur & parebat Serenissimus. Scio ex profugis Apostatis quos sibi præsentatos Serenissimus examinabat de fide, & fugam ipsorum vituperabat grauiter. Scio ex intima & pia affectione erga Sanctam Romanam Ecclesiam, erga Inuictissimum Imperatorem, in cuius persona sacri belli Augustus Generalissimus fidei Catholicæ hostes gladio suo iugulabat: Scio ex rationibus pro Serenissimo iam allegatis indubitato Orthodoxo: ac proinde manifestissimum est, quòd Serenissimus Noster non sit in se intrinsecè & in suo intellectu Regali, dubius Catholicus. Et hæc quoad primam partem rationis secundæ, sunt dicta.

17. Quoad secundam partem Disiunctiuæ, nimirum, *an Serenissimus sit extrinsecè & in intellectu theologi* Varsauiensis *Dubius Catholicus*? restat uidendum. Probo ergo etiam in intellectu *Theologi* Varsauiensis Serenissimum Regem non posse esse extrinsecè Dubium Catholicum. *Sic.* Intellectus in Principio aliquo dubitat de aliquo, vel circa aliquid, quando habet rationes ad vtramquè partem æqualiter mouentes, ita quòd non inclinatur ad hoc, quàm ad illud notabiliter. Sylvester V. *Dubium* & Cardinalis Paleottus de Sacr: Consist: Consult: P. 4. Q 4 ℣. *Et tamen* ait. Aliquàndo rationes vtrinquè æquales sese offerunt, ita vt animus non magis in vnam, quàm in alteram, inclinet partem, & tunc oritur propriè dubitatio. Hæc ibi: Mirum sanè est, quod in intellectu *Theologi* Varsauiensis pro obiecto Dubio, sit Serenissimus Dubius Catholicus; & tamen ex Dubio Catholico infert vnam determinatè, scilicet non esse verum Catholicum. Iste modus argumentandi incipiendo ab ipso Aristotele est vniuersis scholasticis inauditus. Omnes docent, quod Dubitans, non inclinetur ad hoc magis quàm ad alud ob æqualitatem rationum pro vtraquè parte æqualiter mouentium. Et tamen *Theologus Varsaviensis* ex principio Dubio inclinatus ad vnam partem, infert Conclusionem determinatam: ideòquè aut Dubium eius est irrationabile, (quod concedimus) aut naturam Dubiorum non intelligit Scholasticè, prout intelligunt Theologi. Scholasticè locutus fuisset *Theologus Varsaviensis*, si affirmasset se: *opinari*: nam *Dubitare*, est intellectum neutripartium adhærere, iam verò *opinari*, est quando intellectus iam fert iudicium & adhæret vni ex partibus contradictionis, cum sola formidine: sicuti docet D. Thomas de veritate *Quæstione* 13. A 1. Ergo quia *Theologus Varsauiensis* in suo Intellectu tantùm, habet Dubium, Serenissimum esse Dubium Catholicum; ideoquè suo intellectu non debet esse inclinatus ad hoc quòd affirmet Esse verum, vel non verum Catholicum. Iam autem *Theologus Varsaviensis*

ensis perpetuus est in isto modo argumentandi iuxta verba ipsius: *Princeps actu non exercens neque profitens Religionem Catholicam, adeoque Dubius Catholicus, qui pro Hæretico reputatur* in quibus verbis sic vniversalitèr argumentatur. *Princeps, non est actu exercens, & profitens Religionem Catholicam. Ergo est Dubius Catholicus. Ergo est pro Hæretico reputandus.* Sanè ob talem modum argumentandi *Theologus* Varsaviensis *Optimus* fit, Dialecticus *pessimus*. Pono exemplùm ad hominem sic. *Theologus* Varsaviensis actu non exercens neque profitens speculationem Theologicam adeoquè *Dubius* Theologus, qui pro *Pseudo Theologo* reputatur. Ex hoc contextu ad Stylum *Theologi* Varsaviensis formato, istæ habentur Consequentiæ *Theologus Varsaviensis* non est actu exercens & profitens Speculationem Theologicam. Ergo est *Dubius* Theologus. Ergo est pro *Pseudo* Theologo reputandus, vtrobiq; sunt pessimæ Consequentiæ: patet in Materia nostra, imo. quia, fit argumentum *à non Causa* prout *à Causa:* non enim exterior fidei Confessio (deficiente obligatione, loco, tempore,) minimè manifestata, est Causa Dubij Catholici: nec ex Dubio Catholico (formaliter loquendo de Dubio) tanquam *ex Causa* potest inferri Hæreticus reputatus, vt suprà proximè diximus. 2do. patet, quia fit argumentum à Terminis finitis, ad Terminos Infinitos, inconsequentes & etiam extra uagantes; qui Modus argumentandi a Dialecticis est explosus. 3tio. patet: quia à Dubio formali non potest fieri consequentia ad vnam determinatam, & tamen apud Theologum Varsaviensem valet iste modus argumentandi: sed forsan *oblitus* est *Dialectices*. Ego salubriùs optarem vt oblitus fuisset *Dialectices* non autem Veritatis. Sed tempus iterum ad Continuationem *Textus* Varsaviensis recurrere.

TEXTVS III. THEOLOGI VARSAVIENSIS.

Sicut quando dubitatur, an aliquid sit Consecratum vel Baptizatum, pro non consecrato, nec pro Baptizato habetur, vt habetur Cap. veniens. *De Presbyteris & non Baptizatis.*

18 RESPONDEO. *Theologum Varsaviensem* in alleganda doctrina Canonis malâ fide processisse. Quotquot in Orbe sunt Iuris Canonici Doctores, legant, relegant, volvant, revolvant, prædictum Canonem, & non invenient in eodem hanc Doctrinam (etiam nec implicitè) à *Theologo Varsaviense* productam. Sufficiat pro mille aliis Clarissimus Prosper Fagnini, super Cap. veniens; ita scribendo. Summa huius Decretalis summari sic potest, Non Baptizatus ordinari non potest, & si defactò ordinetur non recipit ordinis characterem, licet credatur Baptizatus. En *Fagniana* explicatio Textûs non est de dubio Baptizato. An scilicet, sit Presbyter Baptizatus. Sed de Baptizato, qui creditur esse Baptizatus, & de factò non est Baptizatus. Iam autem Dubitare, & Credere sunt actus distinctissimi. Ergo *Theologus Varsaviedsis* ex hoc Cap. *Veniens.* malè infert istam; Quando dubitatur, an aliquid sit Consecratum vel Baptizatum? pro non Consecrato, nec pro Baptizato habetur. Debuit inferre istam; quod de facto non est Consecratum pro non Consecrato habetur: sicut, quod de facto non est Baptizatum pro non Badtizato affirmatur.

19. Clariùs eundem *Textum*, idem met *Fagnini* in prima parte Primi Decretalium de Constit. cap. *Ne innitaris.* num 245 & cap. *Veniens.* adducit Articulum in quo inquiritur. *An ordinatus ante Baptismum receperit Oudinis Characterem?* Et respondet Pontifex. In hoc dubitabili casu quod tutiùs est sequentes, mandamus, quatenus ipsum per singulos Ordines usq; ad Sacerdotium promovere procures. Ergo Summus Pontifex ob exhibitas sibi priùs certissimas informationes supponit certò Presbyterum non fuisse Baptizatum. Ergo dum dubitatur, an certò non Baptizatus, receperit Ordinis Characterem? Respondet Summus Pontifex ad Dubium Propositum, quod talis non Baptizatus non receperit Characterem Ordinis; ideoq; priùs est Baptizandus, & iterum Ordinandus per singu-

singulos Ordines usq; ad Sacerdotium. Addiscat hîc *Theologus Varsaviensis* istam veritatem, Quando dubitatur, an non Baptizatus Sacerdos receperit Ordinis Characterem, talis pro non Sacerdote, seu pro non Ordinato legitimè & validè, nec pro insignito Charactere Ordinis habetur. Porro iuxta *Textum* præinsertum, *Theologus Varsaviensis* faciat de sua Persona hunc *Textum* Reflexum, sic. Quando dubitatur *An Theologus Varsaviensis sit Doctor Sorbonicus*, *pro non Doctore Sorbonico est habendus*: antequam *Textum* reflexum solvat, adeat Illustrissimum Augustinum Barbosam. Tract 2. l. 3 Tit. 43. Et in eodem etiam Cap. *Veniens*. intelligere procuret sensum allegatum.

20. Sed quid ad nos ista? dubitet, quantum vult & prout vult *Theologus Varsaviensis*. De Orthodoxa fide Serenissimi Regis AVGVSTI II. non dubitat Supremus Pastor Ecclesiæ & Iesu Christi Vicarius: non dubitat Augustissimus Imperator: Non dubitat Eminentissimorum Patrum Collegium Purpuratum; Non dubitant Serenissimi Con: Electorales Sacri Romani Imperii: Non dubitant eiusdem Sacri Imperij ArchiPræsules, & Præsules Celsissimi à Celsissimo Principe Illustrissimo, ac Reverendissimo Episcopo Iavoriensi de Fide Orthodoxa AVGVSTI II Regis informati. Non dubitant Regni Poloniæ, sanioris, majoris partis Proceres ac Principes utriusq; Status. Et tamen adhuc dubitat *Theologus Varsaviensis*. Dubitant & alij, quos suo dubio pestifero infecit (*Nunquid* 3 Rom ℣ 3) *Incredulitas ipsorum*, *fidem Dei evacuabit? Absit*. S Thomas ad locum præfatum, istam *incredulitatem*, & *infidelitatem* vocat *mendacium*, dum dicit: *Mendacium hominis sive infidelitas veritati non adhærens, Dei veritatem sive Fidem non evacuat*. Hæc ibi: Serenissimus noster Fide Catholicâ verax est: *Theologus Varsaviensis Mendax est*. Iterum *Textus*,

TEXTVS IV. THEOLOGI VARSAVIENSIS.

Signa veri & non dubitati Catholicismi est exercitium & Professio externa fidei: Vt habetur apud Matthæum. Qui me confessus fuerit, coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum, coram Patre meo, qui in cælis est.

21. RESPONDEO. Ad præsentem *Textum* prout jam supra habetur; nimirum, Exercitium & Professionem externam fidei esse verum & indubitatum signum Catholicismi: sed in Casibus & Statibus contra *Textum primum* enumeratis, Num 4. 5. 6 ubi scilicet adest necessitas & obligatio iuxta loci, temporis, aliarumq; Circumstantiarum exigentium. Extra hos casus (ait Doctissimus Porrecta in 2 2. Q 3 A 32.) vel si qui sunt alij necessitatis, *perfectionis est*, quod homo persecutoribus se offerat, quando incumbit periculum fidei; sed quod comprehensus non neget, hoc *necessitatis est*: Ita Porr. Sciat profectò *Theologus Varsaviensis* Serenissimo Nostro non defuturam pro Fide Catholica *Perfectionis* occasionem. Incumbit Regno Poloniæ periculum fidei ab Immanissimo Byzontino Dracone. Primus tanto offerens sese discrimini, est Serenissimus AVGVSTVS: sed triumphabit feliciter Victor Gloriosus, & hâc coronâ Regni, (quam Otto Imperator Polonis dedit) Coronatus, Othomanicum evertet Imperium

Legat ergo *Theologus Varsaviensis* sinceriori oculo, fidem Catholicam sibi vendicasse in Serenissimo AVGVSTO, totum illud, quidquid ad necessitatis obligationem, quidquid ad perfectionis decorem pertinere judicatur. Non iam *Theologus Varsaviensis* illud suum a principio positum repetat; *Apud omnes*: Quia dum dicit *Omnes*, decipit omnes, qui ignorant distinguere inter obligationem Præceptorum Affirmativorum & Negativorum.

22. Hoc totum, quod de externa fidei Professione non obligante *ad semper*, dicimus & scribimus, ex instructione Iesu Christi habemus donatum. Præcepit Dominus noster Confessionem externam fidei, coram hominibus: sed tantum in

casu *Necessitatis* & *Obligationis*. Et quis iste *Necessitatis* casus? Ecce ille præmissus, apud D. Matthæum, eodemet Cap. 10. num: 17. *Tradent vos in Concilijs & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides, & ad Reges ducemini propter me, in testimonium illis; & Gentibus*. Ergo in Conciliis, in Synagogis, interrogatus à Præside à Rege, habet campum *Necessitatis* fateri fidem Catholicam externa voce, & externis operibus. Hoc est dogma Fidei, quod & in nobis, *expleri* inter Tyrannos desideramus per misericordiam Dei. Iam verò hoc deficieute militiæ Catholicæ campo, deficit simul obligatio externæ Professionis.

23. Non erubescat *Theologus Varsaviensis* fateri, an in ipso reperiatur, hoc indubitatum signum externæ professionis *ad semper*? notum est Doctis, quod *Theologus Varsaviensis*, disputet subtilitèr de omnium scientiarum Obiectis, de Distinctionum formalitatibus, de causis existentiæ creatæ, in supposito; etiam manducat, bibit, dormit ut animal. Estne protunc in exercitio & actuali professione externæ fidei? profectò minimè. Ergo vel in ipso sensu percipit, & probat in seipso externam fidei Professionem non obligare *ad semper* etsi semper obliget. Ac proinde ipse *Theologus Varsaviensis* non semper confitetur Christum coram hominibus. Quidquid in sui favorem dicet, totum cædet in nostræ doctrinæ approbationem. Sed iam hunc *Textus 4ti* Discursum concludat Eminentissimus Cardinalis Caietanus supra memoratum Præceptum à Salvatore nostro datum, explicans sic. *Non sufficit Christo interna fides, aut internus amor, nisi cum opus fuerit, adsit exterior Confessio Fidei & Factorum.*

24. Sed ad enervandam fundamentalitèr omnem difficultatem, si urgeret adhuc *Theologus Varsaviensis* de Præcepto Negativo externæ Confessionis: hoc enim Præceptum Negativum est, de nunquam exteriùs abneganda fide, & nihil unquam agendo exteriùs, quod fidei repugnet. Ergo, quia præceptum Negativum obligat semper, & pro semper, ideoq; non exercens, neq; profitens actu, fidem Catholicam, adhuc dubius erit Catholicus.

RESPONDEO. *Negando Consequentiam* Conservat Serenissimus Noster corde immaculato susceptam fidem Catholicam: hanc in Sponsam Virginem accepit, eandem exteriùs nunquam negabit: Negativi Præcepti perpetuò externam profert Confessionem, dum omne amputat malum discordans a fidei bonitate.

TEXTUS V. THEOLOGI VARSAVIENSIS.

Ex quo deducitur apertè, verum & indubitatum Catholici judicium, non aliud esse, quàm Professionem externam Fidei; cùm Ecclesia de occultis non iudicet.

25. RESPONSIO ad hunc quoq; Textum jam in Superioribus est declarata. Hoc verò quod addit: *Ecclesia de occultis non iudicat*; certissimum est. Forsan *Theologus Varsaviensis*, ne remorsum conscientiæ pateretur, sentit Serenissimum Regem intra suum Principatum extitisse occultum Catholicum. Si ita saltim sentit, vir probus est *Ioann*: 19. Ioseph ab Arimathæa Discipulus fuit Iesu, sed occultus, propter metum Iudæorum. *Quod Discipulus fuit* (inquit Beatus Albertus Magnus ibidem) *hoc fuit laudabile: quod non confitebatur publicè, hoc fuit infirmitatis, non peccati.* Ergo quoq; in Serenissimo Rege, laudabile fuit extitisse occultum Discipulum S. Romanæ Ecclesiæ, & publicè non Confiteri propter metum Hæreticorum insidiantium, non fuit peccati. Certè *Theologus Varsaviensis* quàm longè distat à sensu B. Alberti Magni. Iste Beatus, Rattisbonensis Episcopus, in Discipulo occulto nullam agnoscit culpam. Ille *Theologus Varsaviensis* in occulto si non videt culpam, cur gravissimam ab Innocente Serenissimo exigit pænam privationis regni? sciret sanè S. Gregorij Decret. L. 1. Tit. 2. Cap. 2. Pontificiam Propositionem. *Rem quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.*

TEXTUS

TEXTVS VI. THEOLOGI VARSAVIENSIS.

Consequentèr non exercens neq; profitens Religionem Catholicam pro Hæretico reputandus.

26. RESPONSIO eadem non est reiteranda: Patet supra Num. 3. usq; ad 11. & Num. 20. & in consequentibus. Solùm addo. Non exercens Religionem Catholicam tempore necessitatis & obligationis, interrogatus à Concilijs, Tyrannis, Regibus, Præsidibus, & externa voce non profitens Fidem Catholic m, fit, aut Idolatra, si coram Paganis: aut Hæreticus, si coram Hæreticis; aut Iudæus, si coram Iudæis: negat fidem transeundo ad sectam Interrogantium Infidelium Tyrannorum; non enim dantur in Generali, aliæ plures species infidelitatis, nisi istæ *Tres*, Paganismus, Iudaismus, & Hæreticismus.

Hucusq; de verbo ad verbum recitatus est *Textus Theologi Varsaviensis*, & Responsionibus Orthodoxorum Theologorum confutatus. Dum ergo per gratiam Dei, iam ipsius suppositum fundamentale destruxerimus, machina tota, licet sponte suâ ruat, tamen ad maiorem evidentiam adhuc sensus Authoris in Quæstione proposita restat investigandus. Inquirit ergo, ut infra.

Theologi Varsaviensis Sensus in Quæstione Proposita.

27. *An Respublica Catholica Libera, præciso favore conservandæ vel nutriendæ Hæresis, solo temporali Statu attento, nec considerato Religionis Catholicæ commodo, atq; emolumento, posit Principem actu non exercentem neq; Profitentem Religionem Catholicam, adeoq; dubium Catholicum qui pro Hæretico reputatur, ad gubernacula Regni vocare, sine iactura conscientiæ, & absq; incurrenda Censura in Bulla Cænæ Domini lata?*

RESPONDEO Præallegatam Quæstionem prout proponitur in terminis à *Theologo Varsaviensi*, multis esse implicatam difficultatibus, quibus unica Responsione directa & unica Resolutione adæquata nullo modo potest satis fieri. *Theologus Varsaviensis* suam quæ stionem proponit Coram Statu Senatorio & Equæstri, de quorum uumero innumerabiles sunt, qui Methaphisicas ignorant difficultates, contradictionum, implicantias Logicales, Præcisionum subtilitates. Imò cum non teneantur scire jura Canonica, non pertinet ad ipsos cognoscere Censuras Bullæ Cænæ Domini: quonam illæ Hæreticos perstringant? Dubiosnè an *Pertinaces* ac manifestos? Tenebarur juxta debitam methodum *Theologus Varsaviensis* cum claritate juxta capacitatem Senatorij & Equestris Ordinis procedere, & ex conscientia recta postponendo omnem passionem, in prupos*ita* difficultate Rempublicam informare, secundùm Deum, secundùm veritatem, non verò conturbare, decipere & odia seminare. Vt ergo possit procedi cum claritate in præfata Quæstione confusissima, debet resolvi priùs in Quæstiones ac Interrogationes particulares, quas in se habet præcontentas.

28 *Prima est*, An Respublica Catholica Libera, possit procedere, ad Regis Electionem considerato Religionis Catholicæ commodo?

2da est. An Respublica Catholica Libera in Electione Regis possit attendere solùm ad Statum Temporalem?

3tia est. An Respublica Catholica Lib. possit eligere Principem actu non exercentem neq; profitentem Religionem Catholicam?

4ta est An Principem Actu non exercens, neq; profitens Religionem Catholicam sit dubius Catholicus?

5ta est. An dubius Catholicus sit pro Hæretico reputandus?

6ta est. An Hæreticus reputatus possit præscindere, à favore nutriendæ vel conservandæ Hæresis?

7ma est. An Censuras Bullæ Cœnæ Domini incurrat Princeps non exercens, neq; profitens actu Religionem Catholicam? *Item* An easdem Censuras incurrat Dubius Catholicus; & reputatus Hæreticus? simulq; omnes Electores Regni Eligentes Principem actu non exercentem, neq; profitentem Religionem Catholicam? has ergo septem Quæstiones continet in se unica Quæstio *Theologi Varsaviensis,* quibus septem Quæstionibus. Nullus sapientissimorum Doctorum unica Responsione potest respondere; & tamen hoc totum præstat *Theologus Varsaviensis.*

29. Addamus exemplum Charitatis Gratiâ talem proponendo Quæstionem. An Vniversitas Cracoviensis, Scientiarum Mater, præciso favore conservandæ & nutriendæ ignorantiæ, solo temporali statu attento, nec considerato Scientiarum commodo atq; emolumento, possit Laureatum Doctoratu Virum, actu non exercentem neq; profitentem Scientias adeoq; dubium scientificum, qui pro ignorante reputatur, ad Gubernacula Vniversitatis vocare sine jactura Scientiarum, & absq; metu incurrendi pænas, in Statuto Vniversitatis clatas. Ad Quæstionem hanc de Matre Scientiarum Propositam, quis quæso Doctissimorum Professorum unica Responsione potest satisfacere, non adhibitis priûs præannotationibus, Terminorum explicationibus, & in suas Classes Conclusionum Distributionibus. Quo præmisso exemplo ad propositas *Septem* Respondeo Quæstiones.

30 *Ad primam dico,* non posse Rempublicam Catholicam Liberam, procedere ad Regis Electionem non considerato Religionis Catholicæ commodo 1 tum quia Matthei 6 ℣. 33 Mandavit Salvator, *quærite Imo Regnum DEI & iustitiam eius.* 2 tum quia Respublica Catholica novit, quod per Religionis Catholicæ commoda procurata beatificatur. Sicut *è contrario:* omnis Respublica negligens profectum Religionis Catholicæ pessundatur execratumq; prout etiam ad præsens vel in ipsa Vngaria idipsum palpabilitèr cernimus. 3 Tum quia Respublica Catholica dicit intrinsecum (ut Metaphisicè loquar) ordinem ad promovendum Catholicæ Religionis bonum, à quo præscindere nequit. Ita feliciter processit Respublica Catholica Polona, quæ elegit Principem Augustum Catholicum, Iustitiam Regni Dei quærentem, toto cordis conatu Religionis Catholicæ commoda procurantem, & ad publicum bonum Poloniæ Catholicæ vita, honore, fortunâq; universa adtendentem.

31 *Ad 2dam dico,* Rempublicam Catholicam Liberam, in Electione Regis non posse attendere solùm ad statum temporalem. Hæc *Responsio* patet ex immediatè dictis. Insuper Respublica ex quo Catholica, statum temporalem debet subordinare Fidei Catholicæ iuxta illud D. Pauli ad Coloss. cap. 3 ℣. 13 *Omnia quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini Nostri Iesu Christi gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Hæc Divus Paulus Inclyti Proceres Regni Poloniæ Serenissimum AVGVSTUM liberis vocibus ac cordibus ad Thronum Catholicum assumentes, nequaquam respexerunt, ad temporalia solùm bona; æterno solùm Cælesti Supremo Numini famulatum detulerunt, ipsummet Deum in Persona AUGVSTI in Regem Poloniæ elegerunt; quia totam suam Electionem Directioni Divinæ commiserant. Quia ad Fidei Catholicæ augmentum respexerant: quia non temporales Fortunas sed Regales dotes Catholicâ Fide coronatas in Serenissimo AVGVSTO contemplabantur. Ideoq; hanc Gemmam de turbido Hæreticorum Oceano extractam, hunc adamantem è Saxo præcisum preciosum, hunc carbunculum ignita Catholica fide relucentem, Coronæ Poloniarum Catholicæ alligarunt fidelitatis iuramento, incluserunt Legum observantiâ, impresserunt liberorum votorum efficaciâ. Sicq; Serenissimum AVGVSTVM, quo Corona fulget Polona Nomen Iesu Christi, in corde interius, & in Professione fidei exterius. Iam coram toto Orbe portantem in Throno Poloniarum Supremi Regis Regum vicesgerentem venerantur, amplectunturq; Patrem Filii, Regem Patriæ Cives, Pastorem subditorum Grex suæ Maiestatis Devinctissimus.

32. *Ad Tertiam dico,* Rempublicam Catholicam Liberam, posse eligere Principem

cipem actu non exercentem neq; profitentem Religionem Catholicam: hæc *Responsio* jam in Superioribus est manifestissima, quia nullus Catholicorum, imo nec ipse Summus Pontifex, fidei petra tenetur actu exercere & profiteri exteriùs ad semper fidem Cathoiicam Authoritates ex Evangelio adductæ etiam supra sunt solutæ & explicatæ iuxta Sanctorum Patrum dogmata & universorum Theologorum consensum unanimem. Easdem quoq; explicationes & sensum debebat adducere *Theologus Varsaviensis*, sed tacuit. Audiat Tertul. Apolog. cap. 47. *Omnia adversùs veritatem de ipsa veritate constructa sunt operantibus æmulatione mistam spiritibus erroris.*

33. *Ad quartam dico*, Princeps actu non exercens neq; profitens Religionem Catholicam non est dubius Catholicus. Hanc Responsionem iam fusè superiùs in Textu 2do per totum abundantissimè, ex intrinsecis dubiorum prædicatis probavimus.

34. *Ad Quintam dico.* DubiusCatholicus iudicans iudicio erroneo, voluntario, firmo, & pertinaci non esse omnino certum id, quod fides dictat, est Hæreticus. Iam autem dubius Catholicus suspendens actum intellectûs omninò, & neutram partem, vel assensûs vel dissensûs eligens, neq; iudicium formans, quod talis res dubia sit, non est Hæreticus. Videatur supra allegatus *Ferre Hispanus*. Vtrumq; autem dubium à Serenissimo Nostro ultra Garamantas & Indos ad ipsos usq; inferos est propulsatum & mulctatum perenni exilio.

35. *Ad Sextam dico.* Iuxta præsuppositam distinctionem datam immediatè in *Resp. ad 5tam* Hæreticum reputatum cum dubio Catholico voluntariè & pertinacitèr ac erroneè iudicante Mysteria Fidei (non esse omninò certa) connexum, affirmo non posse præscindere à favore nutriendæ & conservandæ Hæresis, *Radicalitèr*; quamvis *actualitèr* præscindere possit. Iam verò Hæreticus reputatus, connexus cum dubio Catholico suspendente actum intellectûs præscindit tam radicalitèr quàm actualitèr à favore Hæreseos. Quia in hoc secundo sensu dubius Catholicus, est substantialitèr Catholicus.

36. *Ad Septimam dico.* Princeps non exercens, neq; profitens actu Religionem Catholicã non incurrit Censuras Bullæ Cænæ Domini. Ista *Responsio* notior est, ipso cælo. Censuræ enim Apostolicæ fulminantur contra Hæreticos; iàm autem Princeps actu non exercens, neq; profitens ad semper fidem Catholicam, est substantialissimus Catholicus; aliàs idemmet foret dicendum de ipso summo Pontifice actualiter fidem Catholicam non profitente.

Similiter quoque: Dubius Hæreticus mente dubitans, quomodocunq; consideretur, non incurrit Cẽsuras prædictas. Nullus enim Hæreticus incurrit pœnas impositas Hæreticis, nisi suam Hæresim foris ostendat aliquo verbo, facto, vel signo, Frustra ergo *Theologus Varsaviensis* terret simplices & rectas animas Electorum, incutiens ipsis censurarum pœnas falsissimè, ubi non sunt incutiendæ: illi autem seducti *timuerunt, vbi non erat timor.* Sint ergo Inclyti Electores Reipublicæ certi & certissimi, quod nullas incurissent censuras Ecclesiasticas (stando in Bulla cænæ) etiamsi elegissent Dubium quocunque titulo Catholicum.

Quid ergo Respondendum sit, ad *Quæstionem* confusam per *Theologum Varsaviensem* Propositam, ex particularibus Responsionibus, vnicuique, non solùm Scholastico, verùm etiam Politico Senatorio, Equestri, ac Militari Togato, Constat evidentissimè. Quemadmodum ergo *Theologus Varsaviensis* proposuit Quæstionem in Confuso, & in turbido, ut feliciùs piscaretur; sic quoq; dat Confusas & turbidas *Resolutiones* à proposita ipsius *Quæstione* discordantes: quod videre necessum est, nãq;

37. *Prima Resolutio* Theologi *Varsaviensis* loquitur de Hæreticis formalibus, Rigorosis, indubitatis, Manifestis; quos ipse *Theologus Varsaviensis* vocat Ismaelitas, Incapaces, Commansionis Ecclesiasticæ cum filio Isaac. Et Certissimum est eiusmodi Hæreticos incurrere Censuras in Bulla Cænæ Domini promulgatas. Ergo *Theologus Varsaviensis* nec directè resolvit, nec directè probat, suum Intentum: Nam proposuit Quæstionem directè de Dubio Catholico, qui reputatur Hæreticus; & dat Resolutionem de Indubitato Hæretico. Dubius Catholicus (ut dictum est in *Resp. ad Septimum.*) Non incurrit Censuras Ecclesiasticas: Et tamen easdem *Theologus Varsa-*

viensis ab Hæreticis Manifestis extendit ad Dubios Hæreticos Mente Dubitâtes: quod facit contra Cõmune Axioma Iuris: *In odiosis est restringendum.* Quodsi *Theologus Varsaviensis, Per Hæreticum Reputatum* intelligit suspectũ de Hæresis ratione criminis Cõmissi, ob quod suspicatur, de eo quod sit Hæreticus; tenebatur profectò *Theologus Varsaviensis*, tam Crimen Commissum Dubij Catholici enarrare, quàm etiam gradũ (sit ne scilicet levis, vehemens, & maxima seu Violenta suspicio, & Reputatio) gradum probare Hæreticæ reputationis. Et quia hoc non facit, ideoq; Confusè *quid* pro *quo* scribit, & definit.

38. SECUNDA RESOLVTIO. Desumpta ex lege Ecclesiastica Conformiter ad primam Resolutionem desumptam ex Communibus Principijs Theologicis, loquitur de Hæreticis pertinacibus proprietalibus, perniciosis, & pestiferis. Eosdem & ego cum S. Ecclesia Hæreticos *Diaboli filios* execror, fugio, anathematizo. *Theologus Varsaviensis* intra Cathalogum istorum perniciosissimorum Hæreticorum inscribit Principem Actu non exercentem, neq; Profitentem Fidem Catholicam: Si loquitur de Heretico, de quo loquitur Ecclesia, tunc benè loquitur, si loquitur de Principe Actu non exercente fidem Catholicam, quamvis substantialiter Catholico, tunc pessimè loquitur.

39. TERTIA RESOLVTIO. Desumpta ex Praxi perpetuâ Regni Poloniæ, eundem habet Sensum, *Cum 1ma & 2da Resolutione.* Catholica Polonia Cæteris Catholicorum Regnis felicior, gloriosiorq; evasit, quod ab incunabulis Susceptæ Orthodoxæ fidei. Hucusq; perpetuò, in Throno Regali Coronatum adoravit Caput Catholicum. Proindeq; Zelo Catholico Orthodoxa hæc Mater, fulminavit ignita edicta contra Hæreticos, nec proprijs volens parcere filijs, à suo Catholico lacte avulsis. Conservet Divina Misericordia in nobis hunc Fidei Catholicæ Zelum, & cælestem Athletis cum SERENISSIMO AUGUSTO tribuat, contra hostes Crucis Christi, benedictionem.

40. QVARTA RESOLVTIO, Continet absurda & inconvenientia, quæ benè inferuntur, ex rigoroso Hæretico, non verò ex Principe Catholico. Timor, & tremor invaserunt me legentem *Textum Theologi Varsaviensis*, quorum *primus* sequitur.

TEXTVS THEOLOGI VARSAVIENSIS,

Apud Hæreticum tantùm æstimatur juramentum, quantùm jumentum.

41. RESPONDEO, quod Publica fœdera, pacta, Sancita, inter Gentes & Regna, solemni juramento per personas, ad id deputatas roborata ex Vniversali Iur Gentium ponderis Maximi & Supremæ æstimationis extitêre. Nec est sub cælo aliqua Natio, apud quem juramentum publicum flocci penderetur. *Iosue C. 9.* Refert Sacra Scriptura Gabaonitas fuisse Paganos Idolatras; & tamen cum eis Iosue Princeps inivit fœdus, & Iuramentum quod ex utraq; parte validè & Sacrosanctè erat obligatorium: Ita *Lyranus, Hugo, Dionisius, Caietanus, S. Ambrosius* lib. 3. *Offic.* cap. 10. *Gratianus* 2. 2. Qu. 4. *Cap. finali. Suares* Lib: 2. *de Iurament.* cap 18. qui *Citat* Sanctum Thomam, S. Bonaventuram, Richardum, prout allegat *Cornelius à Lapide* in Commentarijs *Iosue* cap. 9. ℣. 19. Hinc, & *S. Psalmista*, Iuramentum, & jurantem in Nomine Domini, Collaudat *Psalmo* 62. ℣. 12. dicens: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Quæ Sacra Verba Considerans Vniversitatis Cracoviensis Doctor Theologus Stanislaus Makowski, in Decal. Tract. 2. de 2. Præc. Decal. Qu. 7. Coroll. 5. ait: *Sanctitas iusiurandi semper apud omnes Gentes Religiosa fuit.* Porro *Theologus Varsaviensis* in Materiâ tam gravissima, totum reputat, quantum *iumentum* valet. Ex intentione jurantis occulta, id non potest inferre: Pacta quoq; totius Regni quæ sunt materia juramenti, pro jumento, non debet reputare, ac denique ipsummet Nomen Domini invocatum in testimonium, etiam non solùm apud Hæreticos, sed nec apud ipsummet *Dæmonem* tantùm valet, quantùm *iumentum.* Dicat ergo nobis, si blasphemus esse nolit *Theologus Varsaviensis*, quid nam reperiatur *in iuramento*, quod debeat dici justo, ex demerito; *Iumentum*?

TEXTVS THEOLOGI
VARSAVIENSIS
In eadem Resolutione Quarta annotatus & exaratus.

Ergo, Vi iuramenti per Ministrum Caluini facti, vel per se Luteranum faciendi, Zelator erit Catholicæ fidei Integerrimus, Expugnator Hæresum acerrimus, libertatis Ekclesiasticæ Propugnator strenuus. Sed quis Sponsor? quis Propheta?

42. RESPONDEO Pro nunc ad sponsionem, (crimen Obiecti Luteranismi inferiùs discutiendum reservans) *Quis ergo* (inquis) *Sponsor?* Dic, quis sponsor pro Iagellone? quis Sponsor pro Stephano? si spondes pro Boleslao; en unus Libertatis Ecclesiasticæ vindex, occidit Sacerdotem Dei Divum Stanislaum; & alter Boleslaus fidem Catholicam, quam armis introduxerat in Prussiam, muneribus fractus permisit Sacrilegè violari. Si spondes pro Christiano Principe Henrico Gallo; en ipse Sacrilegam Hæreticam subscripsit Confæderationem, multis lachrymis ab Eminentissimo Senatore Patriæ Hosio Cardinali (ut videre est in eius literis, ad Comitia, ad plures Senatores particularitèr ad zelantissimos Episcopos datis) deploratam. Addis insupér, quis quoq; *Sponsor femineæ fidelitatis?* Attende, quid doceat S. Gregorius Papa lib. 1. Mor. in Iob. cap. 5. Quia de alienis cordibus iudicare temerè non debeamus, in Sancti huius viri verbis agnoscimus: qui non ait: Quia benedixerunt Deum in cordibus suis. Vndè per Paulum dicitur, Imo Corin. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad usq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium.* Quisquis enim in cogitatione à rectitudine exorbitat in tenebris, peccat. Nos ergo tantò minùs debemus aliena corda audacter reprehendere, quantò scimus, quia uisu nostro non possumus alienæ cogitationis tenebras illustrare.

43. Admittat & quem quærit Sponsorem *Theologus Varsaviensis* Eminentissimum Hosium Cardinalem easdem ob æquales Rationes, prout antèa pro Gloriosissimo Stephano, ita nunc pro Serenissimo AVGVSTO, Epistola 144. & ad Perillustrem Hieronymum Comitem à *Rozrażew* Præpositum Płocensem datâ spondentem his verbis. *Qui posteriore loco Electus est, à multis præclaras eius dotes præcipuè verò pietatem singularem, & adversus Christi perduelles Hæreticos Christianæ fidei tuendæ zelum non vulgarem audio prædicari. Quod si confirmaverit hoc* Deus, *quod in illo dicitur operatus, vt qualis esse dicitur, talis & sit, & esse deinceps etiam pergat: rectè nobis persvadere possumus, insperatam hanc Electionem, certam Regno salutem allaturam. Fieri potest, ut & nunc diversum aliquid evenire Deus velit, ab eo, quod in posteriore Electione spectatum à plerisq; fuerat: ut non modo non proscribat Regno Christum, non modo fidem illius non extingvat, & in eius locum vel Augustanam vel Genuensem, vel Machometanam perfidiam introducat is, qui posteriore Electus est, verùm etiam Constantius Christianam fidem, quam ii, qui præcesserunt eum, adversus Christi perduelles Hæreticos tueatur, atq; defendat. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis* Nostris.

Ex tanto *Sponsore* Eminentissimo *Hosio*, in Gloriosissimo Stephano universa, promissa exactè sunt completa: eodem quoq; *Sponsore* in Serenissimo AVGVSTO Deo Supremo veritatis Authore benedicente, ad lancem veritatis Vniversa. Pacta, Fædera, & Jura complebuntur.

TEXTVS THEOLOGI
VARSAVIENSIS.
Eiusdem Resolutionis 4tæ.

44. *Agite in Nomine Domini extrcituum Proceres Orthodoxi, pro Patriis legibus, integritate fidei, in qua Ablactati & enutriti estis, & duplicate ei duplicia Apoc.* 18. *Hæreticum foras mittite, date à Deo promissum Patriæ Christianissimum Principem, confortamini & Dominus erit vobiscum.*

O Infortunatum *Agite*! assumpsisti in vanum Nomen Domini, ô *Theologe* ! quia non adunasti, sed Proceres Regni divisisti: tuis *Resolutionibus*, solvisti corda civium à legibus conscientiæ, quia contra innocentèr profusi sanguinis libertatem, per Tuum *Agite*, gladios cruentos evaginasti! Fidei integritatem conculcasti! quia tuas *Resolutiones* mendaciis infarsisti, & Theologicas veritates depravasti: duplicia duplicasti, quia per Tuum *Agite*, tàm in Secularium quàm in Ecclesiasticorum bonorum vexillum depopulationis & in abominationem desolationis extulisti! Serenissimum Principem gravissimi criminis obiectione dishonorasti, quia eundem tanquam Hæreticum à Regno excludendum conclamasti! Principem Christianissimum in Regem à Deo Patriæ promissum expostulàsti! unde tibi spiritus Prophetiæ? Num 22. ad Balaam perrexerũt Seniores, Moab, & Maiores Natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus: *Agite*: confortamini! confortamini intonasti! & tumultum sanguine, rapinis, discordijs plenam excitasti! publicis sanguinarijs Episcopalium bonorum Prædatoribus, Libertatis Polonæ oppressoribus, Iuratorum Pactorum Fædifragis, Machometanicorum auxiliorum imploratoribus promittis præsentiam Domini; sed tuum falsum promissum redarguit *Psalmista* Psalm. 118. *Longè à peccatoribus salus*, redarguit & *Proverbialista* Prover: 15. *Longè est salus ab impijs.*

CONCLVSIO RESOLVTIONVM
THEOLOGI VARSAVIENSIS.

45. *Theologus Varsauiensis* suas *Resolutiones* concludens, alios appellat *Sciolos*: Sit ita sanè, ne contra Diui Pauli Sententiam nostrâ scientiâ inflati iudicemur. Ille tamen *omnia sciens*, asserit, Iagellonem fuisse Cathehumenum; & tamen hoc negat tota Respublica Polona apud *Herbutum de Stat: Reg:* Dum sic attestatur. *Nos Prælati, Principes, Barones, Nobiles, Terrigenæ &c: Significamus quomodo Divinâ Cooperante Clementiâ Serenissimum Principem Dominum Vladislaum Regem Poloniæ Supremum Ducem Lituaniæ, Heredem Russiæ, Dominum Nostrum Gloriosissimum, De GENTILITATIS errore educentes*, in Regem & Dominum assumpserunt. Ergo quia testimonium vniuersæ Reipublicæ Polonæ *verum est*, sequitur euidenter, *Testimonium* Theologi *Varsaviensis* esse *falsum*. Et Olgerdus, Pater Iagiellonis, Paganus, Iagellonem natu maximum dilexit, quod esset præclara indole: & forsan, quod etiam ad exemplum Patris Paganizaret. Mater verò Iagellonis *Maria Russia*, (quis scit an non Schismatica?) hæc enim agebantur circa Annum Christi 1360. Vel paulo minùs supra vel infra, grassante & invalescente protunc contra Ecclesiam Romanam, Schismate) Filium Iagellonem. non intra suum Cubiculum educauerat; nam ordinariè nostris in partibus stante Fidei disparitate in Parentibus, Filij Patrem, & Filiæ Matrem in fide sequuntur. vnde quod Legati Iagellonis ad Coronam Poloniæ concurrentis (apud *Cromerum* lib. 14. *ad finem*) Responderint Iagellonem ab ineunte ætate *Christiana Religione imbutum*: hoc dixerunt vt faciliorem sternerent viam Iagelloni ad Coronam argumentum desumentes a Matre Christiana ad Filium. Verùm argumentum ipsorum non fuisse solidum Respublica declarauit; asserens, quod de Gentilitatis errore eduxerit Iagellonem. Nec id Sapientissimi Archipræsules, & Præsules affirmassent, nisi Iagellonem

Cathe-

Cathechiſmo prius inſtruxiſſent, & poſt ad Sacri Baptiſmatis Fontem adduxiſſent. Nullus etenim Catehumenus poteſt dici Gentilitatis errore infectus, quia de facto iam eſt fidelis, per ſuſceptam voluntario aſſenſu fidem.

46. In eadem Concluſione de Glorioſiſſimo Sigiſmundo III. hunc habet Textum. *SIGISMVNDI III. exemplum, qui aſſerunt Eum hæreticum à Republica electum, ſtultè aſſerunt, vel mente inſaniunt.* Proh Deum immortalem! quis tam ſtultus? tam Mente inſanus Patriæ Ciuis Orthodoxus, ut vel in Electione ſola, pro Hæretico velit dare votum Electiuum, attendendo ad ſenſum compoſitum, non verò ad ſenſum Diuiſum (vtor hic Terminis Theologicis, quia cum *Theologo Varſavienſi* loquor) Sit ſanè Actualis Paganus, Actualis Hæreticus, Actualis Schiſmaticus: & tamen Reſpublica Polona Catholica aptum Regno & Sceptro Principem, quocunque infectum errore poteſt eligere: quia Reipublicæ Catholicæ eligentis Mens & Intentio eſt ſecundùm Senſum *Diuiſum*, non verò ſecundùm Senſum *Compoſitum*: id eſt, non intendit Reſpublica Catholica, eligendo in Regem Principem, qui fuit Paganus vel Hæreticus, quod ſimul eligar, & eius errorem, & ſimul tam Principem, quam eius errorem componat in eodem Throno, ſed intendit Reſpublica Catholica, quod eligendo in Regem Principe errore infectum, ea ipſa Electione, & Electionis Catholicæ Intentione ſeparet Principem ab eius errore, & ſic eligit *Principem* ut errorem, ab eodem diuidat & ſeparet. Proindeque ad ſuæ intentionis Catholicæ Electionem, priùs ſemper Fidei Catholicæ ab Electo (dum exigit neceſſitas) Sollennem Profeſſionem requirit de facto effectuandam. Ergo nullus eſt ſtultus, nullus eſt inſaniens, qui in ſenſu Diuiſo (iuxta datam explicationem) dicit, Hæreticum Principem eſſe Electum in Regem. Et etiam Ille non eſt ſtultus & inſaniens, qui Regem Catholicum aliquando ſecundùm Rei veritatem dicit fuiſſe Hæreticum: qualis fuit Sigismundus III. in ſua iuventute: Sed ille *ſtultus* & *inſaniens* eſt, qui hîc & nunc Regem Catholicum, pro nunc calumniatur eſſe Hæreticum. Et hæc quæ diximus huculq; pro veritate dicimus, falſitatem impugnamus, & dilectionem ac honorem Perſonæ Laureatæ integrum eſſe volumus. Vnde & Cenſuras Theologicas quas ſubijciemus, non contra Perſonam, ſed contra Propoſitiones in Quæſtione contentas, adferemus.

CENSVRA THEOLOGICA
PROPOSITIONVM
Contentarum in Quæſtione & Reſolutione, *THEOLOGI VARSAVIENSIS.*

47. *PRIMA Propoſitio. Apud omnes Conſonum eſt eum, qui Hæreſim dicitur abnegaſſe, & non exercet neque profitetur actu fidem Catholicam, Dubium eſſe Catholicum.* Hæc Propoſitio ſiue loquatur de Abnegante Hæreſim, ſiue loquatur de Catholico nullo vnquam errore infecto, quoad iſtos terminos: *Non EXERCENS neque profitens actu Fidem Catholicam ad ſemper*: eſt Propoſitio temeraria: Quia eſt abſquè grauiſsimo fundamento, contra id, quod in Theologia docent communiter Theologi: vt vidimus ſupra.

48. *SECVNDA Propoſitio. Dubius Catholicus pro non Catholico habetur.* Hæc Propoſitio eſt quoque temeraria, peccans & contra Logicam, & contra Theologiam, & contra Theologos vnanimiter, quid ſit Dubium explicantes, vt ſupra dictum eſt Num. 10 & ſubſequentibus.

49. TERTIA *Propositio. Apud Hæreticos iuramentum æstimatur quantum. Iumentum.* Hæc Propositio est piarum aurium offensiua: quia facit contemptum iuramento in Nomine Domini facto, & irreuerenter ac indecenter loquitur de eodem, quod apud omnes Gentes etiam barbaras Sacrosanctum habetur.

50. QVARTA *Propositio Serenissimus PRINCEPS Electus, est publicus Elusor Romanæ Fidei.* Hanc Propositionem quam scripsit in Resolutione 4ta. remitto ad Inclyti Senatus Totius Reipubl. iudicium, in quo *crimen Læsæ Majestatis* contentum in præallegata *Propositione*, est discutiendum.

51. QVINTA *Propositio. Agite, exercituum Proceres!* Hæc Propositio est *Seditiosa*; quia opponitur vnitati totius Reip. & cætui Iuris consensu & vtilitatis communione sociato.

52 SEXTA *Propositio Historica. Helena Imperatrix Moschouiæ Schismatica Matrimonio Poloniarum Regi copulata.* Ita dicit Resolutione 5tia. Hæc Propositio est *falsa.* Videatur *Cromerus* lib. 30. *ad finem.* Aliæ similes falsitates per seipsas, conuitia, probra, & calumniæ sunt manifesta.

53. SEPTIMA *Propositio. Die 13 Iulij in Ecclesia Collegiata Sancti Ioannis Varsauiæ ante* VENERABILE SACRAMENTVM, *coram Episcopo Vladislauiensi per ministrum suum Caluinum (quod impiissimum, infamissimum, & vix à sæculis auditum inter* Catholicos *exemplum, inter nationes execrabile, & nomini Polono nefandissimum, vt Caluinus pro Lutherano super punctis Catholicis ab Hæretico obseruandis iuret) iurauit, Ita habet Resol. 4. Ad hanc Propositionem respondet Discursus Christiani Hominis pro tempore ad status Reipublicæ, sic cum admiratione exclamans.* O Charitas *Christi fidelium! quàm contraria es Deo, Innocentiæ, veritati! Licet si nihil aliud intercesserit, solas præseferendo in considerationem Falsitates, quæ circa Iuramentum in Pacta Conventa manent Typis exarata.* Ac inprimis, *Quasi clandestinè venerint in Ecclesiam Illustrissimi Duces, Senatores:* quod *de mane horâ sextâ;* quod *contra Protestantes frameæ in templo euaginatæ diffidendo & in vitam &c. Quot verba tot Falsitates. In toto sacro cantato de Sanctissima* Trinitate, *præsentes fuere Illustrissimi prænominati, post idem sacrum, modo primum accesserunt ad Iuramentum, quod actum post octauam horam.* Expositio *Sanctissimi in Pixide tantum non propter præstandum Iuramentum: de quo nemo ex sacerdotibus Ecclesiæ Sancti Ioannis notitiam habuit: verùm propè à Viginti annis in Primaria missa solita horâ antecedenter præcessit, subsecuta more solito cum cantu Saluum fac Benedictio à cantante & celebrante eandem Missam Sacerdote, non propter Iuramentum, sed propter Populum pro hac* Deuotione *quotidiè comparentem. frameam quoque euaginatam nemo vllam vidit, conueniebatnè igitur tot falsitatibus Typum infarcire?* Hæc oculatus Testis omni exceptione Dignissimus, Luna & stellis coronatus.

Sed, quid quæsô obstat; siue Caluinus, siue Lutheranus, siue Paganus per falsos Deos iuret, dum scilicet *Iuramentum quæritur (vide Tab. aur D. Tho. Aqui.* V- *Iur.* Num. 6.) *ad subueniendum alicui defectui, quo scilicet vnus homo diffredit alteri. Ideo Iuramentum non est per se appetendum, sed Tantum in necessitate, vt Medicina vtendum est eo. Fertur autem licitè his de causis, scilicet pro*

veri-

veritate manifestanda & confirmanda: *pro Pace firmanda pro Amicitia contrahenda pro securitate facienda. pro Ecclesiæ consuetudine seruanda. pro obedientia implenda pro fama conseruanda.* Et propter has enumeratas à Doctore Angelico causas Excellentissimus Legatus Serenissimi AVGVSTI II. Regis Poloniæ Electi Principis ac Hæredis Saxoniæ &c. &c. iurauit, & legitimé iurauit, Comitibus veritate, Iudicio, & Iustitiâ, in Præsentia Reipublicæ Liberæ Orthodoxæ.

An ergo *Theologus Varsauiensis* illam exaggerationem intra Parenthesim conclusam veraciter & iustè in Regni Orthodoxo (quod a Turcis, Tartaris, Schismaticis, imò & ab Iudæis recipere consueuit, tam Publica Solennissima, quàm Priuata Iuramenta) proponat, recitetq; ne amplius contra veritatem stomachetur, perlegat *Cornelium à Lapide in Gen: Cap. 31. V. 53* quod sequitur; *Nota, sicut licuit Iacobo a Laban, ita cuiuis fideli licet ab infideli excipere, imò exigere in necessitate iuramentum, etiamsi sciat infidelem iuraturum per falsos deos*: Idem docet & approbat *D. Thomas Aquinas 2. 2. Q. 78 Art: 4 in corpore* ita scribens. *Augustinus Publicolæ quærenti utrum liceret vti Iuramento eius qui per falsos Deos iurat, in quo manifestè peccat, eis Diuinam reuerentiam adhibens: respondet, quod, Qui utitur Fide illius qui per falsos Deos iurat, non ad malum sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per dæmonia iurauit, sed Pacto eius Bono, quo Fidem seruauit*; Hæc ibi. Cum ergo Excellentissimus Legatus Serenissimi AVGVSTI II. iurâsset per Deum verum; à fortiori illius Iuramentum stabilissimum est, & securissimum; Ac proinde ista Propositio Septima *Theologi Varsauiensis* est nihil valens.

Addit insuper *Theologus Varsauiensis.* Legatus Serenissimi *Coram Episcopo Vladislauiensi iurauit.* Causam nunc nostram roborauit *Theologus Varsauiensis,* dum Episcopum Vladislauiensem commemorauit. Iste enim est verus Fidei Catholicæ Athleta, humeris suis Sarmaticum baiulans Orbem Iste Electionis Liberæ Defensor, Promotor, vindex; Iste cordium & animorum Fraternorum moderator & eorundem *in vno Iure votandi & vetandi.* Coadunator & manutentor. Iste Bonus Pastor Arcens lupos raptores ab ouili Libertatis Electoralis. Iste *V*ladislauiensis Episcopus, Episcoporũ Decus, Sacerdotum Gemma, Pietate præstans, mansuetudine amabilis, Recti iustiq; tenax, est, in Persona Totius Reipublicæ Receptor Iuramenti Regalis, est in Persona Dei Coronator AVGVSTI Serenissimi, Iste (Quem ex Persona ignorat *Theologus Varsauiensis*) est ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS Dominus; D. STANSLAVS de Lubraniec DABSKI, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Cuiauiensis ex Adiutorio DEI, ex COEPISCOPORVM & CONSENATORVM PRINCIPVM ac Equestris Ordinis Authoritate, Pacis Publicæ Author.

Ex quibus omnibus infertur, totam *Quæstionem Theol. Varsav.* esse expungendam iuxta Regulam *de Correct. lib.* §. 2do in indice Librorum Prohibitorum iussu INNOCENTII XI. Pont. Max. Romæ 1681. edito, sic sonante. *Quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum detrahut, bonisq; moribus & Christianæ disciplinæ sunt contraria, expungantur.*

 Iam

Iam tandem per Dei gratiam, Concludens Responsionem, adhibeo verba, quæ *Theologus Varsaviensis* in fine *suæ Resolutionis* adhibet Proverb. 22. V. 10. *Eijce Derisorem & exibit cum eo iurgium.* Explicat *Cornelius à Lapide* ibidem. *Eijce hominem noxium, & pestilentem, qui alios irridet, subsanat, divexat, pacem turbat, lites & pugnas concitat, qualis est susurro, Detractor, Conviciator, Irrisor, Turbulentus & Seditiosus.*

Io triumphe! Saxo percussit Philistæum
DEO GRATIAS.
Omnia, Iudicio Sanctæ Ecclesiæ DEI, subjecta sunto.